C. CORNELII TACITI

DE

VITA ET MORIBUS

IULII AGRICOLAE

LIBER.

AD CODICES VATICANOS ET VETERES EDITIONES ITERUM
RECENSUIT ATQUE ANNOTATIONE ILLUSTRAVIT

ERNESTUS DRONKE.

FULDAE
IN LIBRARIA CAR. MÜLLER
G. F. EULER
MDCCCXXXXIV.

ALEXANDRO DOMINICUS

AFFINI

GYMNASII CONFLUENTINI COLLEGAE

D.

EX PRAEFATIONE

PRIMAE EDITIONIS.

Pauca sunt quae de consilio in hac editione adornanda moneam. in primis quum priorum editorum securitatem in colligenda lectionis varietate non ignorarem, id mihi propositum fuit, ut codices atque editiones quas vocant principes aut ipse quanta maxima possem religione perlustrarem aut ab officiosa aliorum virorum humanitate collatos acciperem. etiam reliquis editionibus quas infra indicavi accurate inspectis textus quem vocant historiam componere nobis licuit, ita ut labor quem huic editioni impendimus aliquam sibi laudem paraturus sit, etsi non omni ex parte viris doctissimis satisfecerimus.

In bibliotheca Vaticana duo asservantur codices in quibus est vita Agricolae; utrumque contulit Brotier. alter signatus Fulv. Urs. 3429 hunc libellum solum continet; alter signatus 4498 Germaniam quoque et dialogum de oratoribus habet. illum Maggiorani vir reverendus in meum usum denuo contulit. chartaceus est et descriptus a Pomponio Laeto [de quo viro eruditissimo v. F. Naekii opusc. 1, 118]. codex olim fuit Fulvii Ursini.

De reliquis Agricolae codicibus nihil nobis constat. codex Ursini saepe laudatur neque quidquam tamen de eo monitum est ab editoribus; certe non idem est qui adhuc servatur in bibliotheca Vaticana. De codice Mirandulano qui nullus est v. Fabricii bibliothecam latinam 2, 31 et Ernesti praefationem in Tacitum.

Prima Taciti editio quae est Wendelini de Spira caret nostro libello. primam Agricolae editionem a nullo editore antea inspectam, quae continetur prima panegyricorum collectione a Francisco Puteolano sine nota anni, loci et typographi (Mediolani circa annum 1482) edita, in meum usum Parisiis conferendam curavit Carolus Benedictus Hase vir

doctissimus. eam accuratissime descripsit Frid. Adolphus Ebert in lexico bibliogr. 2, col. 299, n. 15743. ego nominavi Puteolanam primam (P. 1). in exemplari Parisino deest unum folium, quo continentur quae sunt in textu inter verba *caute appetebat* cap. 4 extr. et *saepe parti* cap. 8. [in eo erravi, quod hanc Agricolae editionem primam et Mediolanensi omnium operum priorem dixi; sed retinui veterem signandi rationem.]

Altera Agricolae editio cum reliquis Taciti libris prodiit Mediolani (circa a. 1475, v. Eberti lex. bibl. 2, n. 22135) sine nota anni et loci cura eiusdem Francisci Puteolani adiuvante Bernardino (sive Berardino, ut est impressum) Lanterio. suppeditavit eam mihi bibliotheca academiae Bonnensis; sero Guilielmus Schneider vir mihi amicissimus exemplar, quod Dresdae servatur cuiusque notitia mihi venerat ex Eberti historia et descriptione bibliothecae Dresdensis, in meum usum contulit. in epistola ad Iacobum Antiquarium Franciscus Puteolanus dialogum quoque se addidisse affirmat; is tamen libellus in exemplo Bonnensi desideratur. mihi est Puteolana altera (P. 2).

Tertium Agricolam edidit idem Franciscus Puteolanus anno 1497. continet haec editio octo folia formae maioris. in fine libri scriptum: *Venetiis per Philippum pinci sumptibus dn̄i Benedicti Fontana. Anno dn̄i* MCCCCXCVII. *die* XXII. *martii.* libellus additus est Cornelii Taciti historiae augustae a Puteolano curatae et ex eadem officina eodem anno et die emissae. hanc editionem ipse possideo; nominavi Venetam (Ven.).

De codice, ex quo Puteolanus Agricolae vitam descripsit, nihil nobis compertum. diversus est a codicibus Vaticanis, quamquam vel in pessimis lectionibus cum iis nonnunquam concordat. omnes autem Puteolani editiones, quarum quaevis est alterius filia, ubique fere conspirant, etiam in ipsis operarum erroribus; rarissime differunt. ceterum Puteolani editio erat unicus fons, unde Agricolae textus usque ad Broterium propagabatur.

Editionem Iohannis Rivii Venetam a. 1512, Philppi Beroaldi Romanam a. 1515 et Minutianam a. 1517 nunquam vidi. quid editores praestiterint, ostendit Ernestius in praefatione.

Ioannes Frobenius vir inter Germanos suae aetatis typographos clarissimus Taciti opera edidit mense Augusto anni 1519. sequitur textum Beroaldi, cuius epistola ad Leonem X. P. M. nuncupatoria notulaeque una cum An-

dreae Alciati praefatione et annotationibus praemissae sunt. Beatus Rhenanus addidit elenchum, qui ea potissimum indicat, quae ad res Germaniae pertinent, opere cursim et carptim evoluto congestum; libellus vero de moribus cet. Germaniae a prodigiosis mendis purgatus esse per eundem Beatum Rhenanum beneficio codicis vetustioris (de quo v. Ernesti praefationem) praedicatur. referta est autem haec editio operarum erroribus. cum Ernestio Alciati (Alc.) editionem nominavi.

De prima Rhenani recognitione, quae Basileae ex officina Frobeniana prodiit a. 1533, post ea quae Ernestius in praefatione disseruit pauca tantum mihi dicenda sunt. in epistola ad Bernardum episcopum Tridentinum ipse fatetur, „in libello Germanorum, oratorum dialogo Agricolae„que vita sibi defuisse quidem scriptos codices cum quibus „conferret, ceterum se editionem vulgatam percurrisse non „prorsum indiligenter ac loca quaedam accuratius excus„sisse.“ editio vulgata Alciati est, cuius errores, qui nonnunquam ex editione Beroaldi fluxerunt, ipsi notas atque emendationes pepererunt. plurima Rhenanus correxit in castigationibus; multa etiam tacite emendavit, quamvis hac de re dubitaverit Ernestius ad cap. 16. alia monuit atque immutavit, praeclare autem interpretatus est in *thesauro constructionum et locutionum et vocum Tacito solennium*, qui ea quam ipsi Ernestius tribuit laude dignus est. quantum huic editori Tacitus debeat, ex accurata castigationum lectione patet; neque temeritatis eum tantopere cum Mureto accusaverim, quum maiora sint eius merita, quam multorum post eum in libris Taciti corrumpendis studium atque industria. alteram Rhenani editionem a. 1544 in eadem urbe et officina repetitam non contuli; nihil novi additum neque quidquam mutatum. [Hos libros iterum examinavit Godofredus Kaemmerer Silesius in dissertatione quam scripsit *de indole ac pretio codicum mss. Tac. Agric. et editionum veterum ad Lipsium usque*, Vratislaviae 1842.]

Praeterea consulebam Mureti notas, editiones Francofurtensem et Coloniensem (de quibus v. meam praefationem ad Dialogum p. VII), Lipsii, Berneggeri, Gronoviorum, Gesneri, Broterii, Ernestii, Bipontinorum, Engeli, Oberlini.

Ad haec igitur aliaque subsidia, quibus adiutus primam editionem paraveram, nunc alterius libri Vaticani collatio

accessit. scripserat quidem Maggiorani „codicem 3429 unicum in Vaticana esse de vita Agricolae"; sed quum Iacobus Clemens Confluentinus iuvenis optimus mihique amicissimus aliquot ante annis studiorum causa Romae commoraretur, eum precibus adii, ut quaereret, ubinam alter codex quem Broterius in manibus habuerat lateret. atque is codicem non solum repperit, sed etiam lectionem variantem quam diligentissime enotavit enotatamque mecum communicavit. qua collatione factum est, ut etiam de hoc codice quem B signavi nunc rectius iudicare possimus. Broterius enim eadem qua alterum incuria hunc quoque librum tractavit et paucis tantum locis inspexit. membranaceus est formae quartanariae saeculo quinto decimo nitide sed mendose scriptus. cum codice A saepe consentit in bonis et malis, in corruptis et integris lectionibus. in aliis locis quorum numerus est satis magnus ab illo dissentit et cum Puteolani libro concordat. attamen utrumque codicem ex eodem archetypo descriptum esse existimo, B vero a scriba satis rudi atque imperito. Ex altero codice Broterius aliquot varias lectiones protulerat, quas Maggioranius praeteriisse visus est. eas sub Broterii nomine laudaveram. sed quum easdem lectiones Iacobus Clemens in codice B invenerit, Broterium suspicor codicum numeros in his locis permutasse et numerum 3429 pro altero numero posuisse. Praeterea etiam codicis A lectiones nunc accuratius enotatae sunt. fuerunt enim loci quamquam non multi, in quibus aut non veram aut non integram huius libri varietatem transscripseram. atque hos errores statim corrigere debebam; sed non feci, quum aegre ferrem quod quae ego non sine sumptibus comparaveram alii in suum usum certatim convertebant. unum addo, ne quis iterum mihi litem intendat, codicem A ad textum Ant. Aug. Renouardi, Paris. 1795, codicem B ad textum Broterii esse collatum.

De illis editionibus quae meam secutae sunt dicere longum est. omnes novi, perlegi. a quibus viris meliora edoctus sum, eos laudavi; reliquos respicere propter annotationis rationem ac modum non potui.

Scr. Fuldae mense Novembri
a. MDCCCXXXXIII.

CORNELII TACITI

VITA

IULII AGRICOLAE.

Clarorum virorum facta moresque posteris tradere, 1
antiquitus usitatum, ne nostris quidem temporibus quamquam incuriosa suorum aetas omisit, quoties magna aliqua ac nobilis virtus vicit ac supergressa est vitium parvis magnisque civitatibus commune, ignorantiam recti et invi-

In utroque codice inscriptum est *Cornelii Taciti de vita et moribus Iulii Agricolae*, in B etiam additum *Cn.* ante voc. *Cornelii;* in editt. Puteol. 1, 2, Ven. Alc. Rhen. *Iulii Agricolae vita per Cornelium Tacitum eius generum castissime composita.*

2. *quamquam incuriosa s. aetas*] idem vitium exprobrat Ann. 2, 88 *dum vetera extollimus recentium incuriosi.* Dial. 18 *vitio autem malignitatis humanae vetera semper in laude, praesentia in fastidio esse.* semina huius sententiae, quam Tacitus cum sexcentis communem habet, esse apud Thucyd. 2, 45 dixit Ruhnken. ad Vellei. 2, 92, 5.

3. *quoties*] forma *quotiens* non est reperta in libris scriptis.

4. *virtus vicit — vitium*] in his vocibus est παρήχησις quaedam sive alliteratio. sic c. 9 *ab legatione legionis.* neque homoeoteleuta Tacitus fugit.

4. *supergressa est*] Ann. 13, 45 *mater eius aetatis suae feminas pulchritudine supergressa.* 14, 52 *hortorum quoque amoenitate et villarum magnificentia quasi principem supergrederetur.* hanc superandi significationem notavit Ruhnk. ad Vellei. 2, 40, 2, in qua explicanda nunc nolim cogitare de symbolica gladiatorum actione, quod Franciscum Passovium secutus quondam feceram.

5. *ignorantiam recti et invidiam*] genitivus *recti* ad utrumque pertinet substantivum. sed quamquam ignorantiam et invidiam recti

diam. sed apud priores ut agere memoratu digna pronum magisque in aperto erat, ita celeberrimus quisque ingenio ad prodendam virtutis memoriam sine gratia aut ambitione, bonae tantum conscientiae pretio ducebatur. ac plerique

unum esse vitium Tacitus dicit, actiones tamen sunt diversae neque in his verbis est ἓν διὰ δυοῖν. ignorantia (quae differt ab ignoratione v. Gernhardi excursum ad Cic. Cat. p. 298) est eius qui quid sit rectum non satis intelligit; invidia eius qui illud odit. alterum autem vitium cum altero inter homines coniunctum esse solet; pars hominum rectum ignorat, pars ipsi invidet.

1. *ut agere*] B *ut agere digna memoratu pronum*, quod forsitan defendi possit, quia vis esse videtur in adiectivo; sic Ann. 4, 32 *pleraque eorum, quae rettuli quaeque referam, parva forsitan et levia memoratu videri non nescius sum.*

1. *pronum magisque in aperto erat*] synonyma sunt. facile erat neque quicquam obstabat, quominus fierent memoratu digna. c. 33 *vota virtusque in aperto omniaque prona victoribus.* Histor. 3, 56 *nam cum transgredi Apenninum integro exercitus sui robore et fessos hieme atque inopia hostes adgredi in aperto foret*, ubi Ernestius recte explicat *in aperto* idem esse quod in promptu, facile. itaque haec verba neque opponuntur substantivis ignorantiae et invidiae neque referenda sunt ad Agricolam; imo verba agendi et prodendi sibi opposita sunt. Ceterum Peerlkamp recte monuit loci sententiam flagitare, ut adverbium *magis* ad utrumque adiectivum referatur; nam saepe fieri ut adverbia semel posita bis sint intelligenda.

3. *ad prodendam v. mem.*] sic vel optimi scriptores loquuntur. Caes. b. g. 1, 13, 7 *quare ne committeret, ut — memoriam proderet.* Cic. epist. ad divers. 8, 3, 3 *aliquid ex tam multis tuis monumentis extare, quod nostrae amicitiae memoriam posteris quoque prodat*, ad quem locum cfr. Corte.

3. *ambitione*] in malam partem dicitur et gratiae sive favoris aucupationem significat, qua significatione iam Ciceronis aetate nonnunquam usurpabatur; v. Ernesti clav. et Spalding. ad Quintil. 1, 2, 22. — Ann. 1, 67 *equos — legatorum tribunorumque nulla ambitione fortissimo cuique bellatori tradit.* 6, 46 *quippe illi non perinde curae gratia praesentium quam in posteros ambitio.* Histor. 1, 1 *ambitionem scriptoris facile averseris.*

4. *plerique*] sunt *multi*, *nonnulli*, non *plurimi*, qui vocabuli usus Tacito proprius esse videtur, v. quae adnotavi ad Dialog. 17, 6. huius significationis Peerlkamp, ni fallor, non erat memor, quum non ipsos scriptores sed eos qui illorum libros legerent intelligeret

suam ipsi vitam narrare fiduciam potius morum quam arrogantiam arbitrati sunt, nec id Rutilio et Scauro citra fidem aut obtrectationi fuit. adeo virtutes iisdem temporibus optime aestimantur, quibus facillime gignuntur. at mihi nunc narraturo vitam defuncti hominis venia opus fuit, quam non petissem, ni in-

itaque scribere mallet *suam ipsam vitam.* sensus est: multi suam ipsi vitam narraverunt atque hoc fecerunt fiducia potius morum i. bona conscientia, quae proficiscitur e moribus bene moratis, quam arrogantia ducti. Tacitus, quod iam pridem suspicatus eram, fortasse respexit ad Ciceronem, qui epist. ad divers. 5, 12, 8 ad Lucceium ita scribit. *Quod si a te non impetro — cogar fortasse facere, quod nonnulli saepe reprehendunt: scribam ipse de me, multorum tamen exemplo et clarorum virorum. Sed, quod te non fugit, haec sunt in hoc genere vitia: et verecundius ipsi de sese scribant necesse est, si quid est laudandum, et praetereant, si quid reprehendendum est. Accedit etiam, ut minor sit fides, minor auctoritas; multi denique reprehendant et dicant verecundiores esse praecones ludorum gymnicorum* cet.

2. *Rutilio et Scauro*] P. Rutilius Rufus consul a. u. c. 649, doctus vir et graecis litteris eruditus, Panaetii auditor, prope perfectus in stoicis (Cicer. Br. 30, 114), quem Vellei. 2, 13, 2 virum non seculi sui sed omnis aevi optimum nominat. scripsit orationes, de iure civili, res romanas graece, suam vitam latine. M. Aemilius Scaurus consul a. u. c. 639, sapiens homo et rectus, quo nemo fere illa aetate magis celebratus fuit. Cic. Brut. 29, 112 *huius et orationes sunt et tres ad L. Fufidium libri scripti de vita ipsius acta, sane utiles, quos nemo legit. at Cyri vitam et disciplinam legunt, praeclaram illam quidem, sed neque tam rebus nostris aptam nec tamen Scauri laudibus anteponendam.* de utroque viro cfr. Ellendti prolegom. ad Cic. Brut. c. 28—32.

3. *citra fidem*] i. fidem eorum non minuit, nihil ei detraxit, vel potius: non effecit, ut iis nulla haberetur fides. Dial. 27, 3 *iudicium animi citra damnum affectus proferre.* explicuit hanc significationem Handius in Tursell. 2, 83.

3. *adeo virtutes*] de particula *adeo* conclusiva eiusque collocatione in initio sententiae, qui usus ad mediam latinitatem pertinet, disseruit Handius in Turs. 1, 152.

5. *at mihi*] B *at nunc narraturo mihi vitam.*

6. *petissem*] Broter. in cod. B legit *petiissem*, Clemens de hac forma nihil rettulit.

6. *ni incusaturus*] in utroque

cusaturus tam saeva et infesta virtutibus tempora.

codice legitur *petissem incusaturus;* in P. 1, 2, Venet. Beroald. Alc. *petissem ni cursaturus;* Rhenanus in castigationibus duas proposuit lectiones, vel ita ut interrogatio sit haec clausula: *quam non petissem, incursaturus tam saeva et i. v. tempora?* vel, quod ipsi simplicius videbatur: *quam non petissem ni incursaturus* cet. atque haec altera coniectura recepta est in edit. Francof. et Colon. eamque Doederl. in notis versioni adiectis defendere conatur. codicum vaticanorum scripturam coniecerunt Lipsius et Heinsius ita tamen ut particulam *ni* tenerent. Gesnerus proposuit *ni causaturus.* equidem in editione prima secutus eram Puteolanum, nunc Lipsii emendationem recipiendam esse duxi, quippe quae et proxime accedat ad codicum scripturam — nam coniunctio *ni*, quae est necessaria, aut ab ultima littera vocabuli praecedentis aut a prima syllaba sequentis facile intercipi potuit — et ad sensum optime quadret. particula *at* oppositionem indicat eaque oppositio singulis verbis continetur. se ipsum (*mihi*) opponit Tacitus iis scriptoribus, qui aut ingenio celeberrimi ad prodendam aliorum virtutem dum illi vivebant sine gratia aut ambitione ducebantur aut suam ipsi vitam narrabant. *nunc* opponitur iis temporibus, quibus virtutes quum facillime gignerentur, tum etiam optime aestimabantur. narraturus autem erat vitam defuncti hominis, ita ut omnis abesset aut gratiae aut ambitionis suspicio. soceri laudes scribebat itaque sperare potuit fore, ut libellus qui pietatem profitebatur aut laudaretur aut excusaretur. tempora vero, quae tam saeva et infesta virtutibus dicit, non sunt praesentia sed illa quibus Agricola vixit, illa aetas qua homines viderunt, quid ultimum in servitute esset, quum per inquisitiones et loquendi et audiendi commercium adimeretur. atque ista tempora incusaturus erat, quum non in ipsos modo scriptores qui alios laudaverunt, sed in libros quoque eorum saeviretur. veniam autem sibi petit inconditae ac rudis vocis, quum apud priores celeberrimus quisque ingenio virtutis memoriam proderet. Niebuhrius in libro, *kleine histor. und philol. Schriften* 1, 331, suspicatus est locum esse intelligendum de duabus editionibus vel praelectionibus, altera quidem statim post mortem Agricolae facta Domitiano adhuc imperante, altera aliquanto post. sed dum Domitianus vivebat, haec vita legi nullo modo potuit ne in secreto quidem propter Domitiani naturam et mores quos Tacitus depingit capp. 39, 42, 43. Ceterum nonnulli cogitarunt de similitudine, quam hic locus haberet cum verbis Ciceronis in Oratore 10, 35 *itaque hoc sum aggressus statim Catone absoluto, quem ipsum nunquam attigissem tempora timens inimica virtuti, nisi tibi hortanti et illius memoriam mihi caram excitanti non parere nefas esse duxissem.*

Legimus, quum Aruleno Rustico Paetus Thrasea, Herennio Senecioni Priscus Helvidius laudati essent, capitale fuisse, neque in ipsos modo auctores sed in libros quo- 2

1. *legimus*] i. in actis diurnis, in quae Rustici et Senecionis caedes iussu Domitiani relata fuisse videtur. sic in accusatione Thraseae Ann. 16, 22 Cossutianus dicit: *diurna populi Romani per provincias, per exercitus curatius leguntur, ut noscatur quid Thrasea non fecerit.* sed quaeritur, cur Tacitus *legimus* scribere maluerit, non *vidimus*. cuius rei quum alii alias afferant caussas, ego reperio caussam in verbis quae sequuntur; scilicet ademptum erat per inquisitiones et loquendi audiendique commercium.

1. *Aruleno Rustico*] Iunium Rusticum Arulenum a Domitiano interemtum esse, ,,quod P. Thraseae et Helvidii Prisci laudes edidisset,'' Suetonius quoque tradit in Domit. 10; in eo tantum fallitur, quod utrumque virum ab Aruleno laudatum fuisse scribit. stoicus erat et inde a M. Regulo appellatus ,,stoicorum simia et Vitelliana cicatrice stigmosus.'' Plin. Epist. 1, 5.

1. *Paetus Thrasea*] A *Petus Trasea.* Ann. 16, 21 *trucidatis tot insignibus viris ad postremum Nero virtutem ipsam exscindere concupivit interfecto Thrasea Paeto et Barea Sorano.* ad quem locum v. Lipsium. obiectus est ei *tristior et paedagogi vultus.* Suet. Ner. 37.

1. *Herennio Senecioni*] Put. 1, 2, Ven. Alc. *Senectioni.* Plin. epist. 7, 19 *quum Senecio reus esset, quod de vita Helvidii libros composuisset rogatumque se a Fannia in defensione dixisset: quaerente minaciter Metio Caro, an rogasset, respondit, Rogavi: an commentarios scripturo dedisset, Dedi: an sciente matre, Nesciente. Postremo nullam vocem cedentem periculo emisit. Quin etiam illos ipsos libros quamquam ex necessitate et metu temporum abolitos SC. publicatis bonis servavit, habuit tulitque in exsilium exsilii caussam.*

2. *Priscus Helvidius*] Paeti Thraseae gener, Plinii iunioris amicus (Plin. Epist. 3, 11 *septem amicis meis aut occisis aut relegatis, occisis Senecione, Rustico, Helvidio* cet.) a Vespasiano interfectus est. Sueton. Vespas. 15. de eius vita, studiis, fortuna v. Histor. 4, 5, ubi Tacitus plenus est laudum. Dio autem Cassius 66, 12 haec scribit. *Πρίσκος Ἑλουΐδιος ὁ τοῦ Θρασέου γαμβρὸς τοῖς τε στωϊκοῖς δόγμασιν ἐντραφεὶς καὶ τὴν τοῦ Θρασέου παῤῥησίαν οὐ σὺν καιρῷ μιμούμενος — οὐχ ἥκιστα ἔνδηλον ἐγένετο, ὅτι Πρίσκον τὸν Ἑλουΐδιον οὐ μᾶλλόν τι δι' ἑαυτὸν ἢ διὰ τοὺς φίλους αὐτοῦ, οὓς ὕβρισεν, ἐμίσησεν ὁ Οὐεσπασιανός, ἀλλ' ὅτι ταραχώδης τε ἦν καὶ τῷ ὄχλῳ προσέκειτο, βασιλείας τε ἀεὶ κατηγόρει καὶ δημοκρατίαν ἐπῄνει καὶ ἔπραττεν ἀκόλουθα τούτοις καὶ συνίστη τινάς.* Ipsius et Thraseae odium in tyrannos innuit Iuven. Satir. 5, 36 *quale coronati Thrasea Helvidiusque bibebant Brutorum et Cassi natalibus.*

que eorum saevitum, delegato triumviris ministerio, ut monumenta clarissimorum ingeniorum in comitio ac foro urerentur. scilicet illo igne vocem populi Romani et libertatem senatus et conscientiam generis humani aboleri arbitrabantur, expulsis insuper sapientiae professoribus atque omni bona arte in

1. *delegato triumviris ministerio*] triumviri prorsus iidem Romae qui undecimviri Athenis. munus eorum praeesse carceri, punire damnatos, itemque cognoscere de furtis admissisque servorum aut eiusmodi viliorum capitum ad Maeniam columnam. Lipsius ad Ann. 5, 9. comburebant autem non solum triumviri, sed etiam aediles et praetor. v. Lipsium ad Ann. 4, 35.

1. *monumenta*] Broter. in cod. B legit *monimenta* atque ita scripsit; Clemens hanc scribendi rationem non commemoravit.

2. *in comitio ac foro*] quum comitium pars esset ipsius fori, haec verba fortasse coniunguntur ex solemni quadam formula. Cic. p. Sext. 35, 75 *quum forum, comitium, curiam multa de nocte armatis hominibus ac servis plerisque occupavissent* cet. Sueton. Caes. 10 *praeter comitium ac forum*. de figura ἓν διὰ δυοῖν nolim cogitare neque puto recte dici posse *in comitio fori;* certe nemo quod sciam ita locutus est.

3. *vocem*] abest a B.

4. *conscientiam generis humani aboleri*] Annal. 4, 35 *libros* (Cremutii Cordi) *per aediles cremandos censuere patres: sed manserunt, occultati et editi. quo magis socordiam eorum irridere libet, qui praesenti potentia credunt exstingui posse etiam sequentis aevi memoriam. nam contra punitis ingeniis gliscit auctoritas, neque aliud externi reges aut qui eadem saevitia usi sunt nisi dedecus sibi atque illis gloriam peperere.*

4. *arbitrabantur*] Barclaius rescribit *arbitrabatur* scil. Domitianus. verum et alii intelligi possunt, qui suasere Domitiano, probavere cet. Ern.

5. *sapientiae professoribus*] sapientiae professores sive *sapientiae doctores*, quo nomine Tacitus aliis locis utitur, sunt philosophi. vocabulis enim *philosophus*, *philosophia*, Tacitus se abstinuit. infra c. 4 legitur quidem *studium philosophiae*, sed ibi Agricolae verba referuntur; in Dialogo bis ni fallor legitur vocab. *philosophiae*, c. 30, 2 et 32, 5. de significatione voc. *sapientia*, cfr. Roth. ad Agric. p. 118. de eadem re Plin. Epist. 3, 11 *equidem, quum essent philosophi ab urbe submoti, fui apud illum* (Artemidorum) *in suburbano*. Suet. Domit. 10 *interemit — Iunium Rusticum, quod Paeti Thraseae et Helvidii Prisci laudes edidisset appellassetque eos sanctissimos viros, cuius criminis occasione philosophos omnes urbe Italiaque summovit.* facta est autem haec philosophorum relegatio a. p. C. 94 u. c. 847. v. Zumptii annales s. h. a.

exsilium acta, ne quid usquam honestum occurreret. dedimus profecto grande patientiae documentum; et sicut vetus aetas vidit, quid ultimum in libertate esset, ita nos, quid in servitute, adempto per inquisitiones et loquendi audiendique commercio. memoriam quoque ipsam cum voce perdidissemus, si tam in nostra potestate esset oblivisci quam
tacere. Nunc demum redit animus; et quamquam primo 3
statim beatissimi saeculi ortu Nerva Caesar res olim disso-

1, *occurreret*] absolute dictum ut Histor. 3, 20 (in indice Ernestiano numerus est falsus) *neque enim ambigua esse quae occurrant.* cfr. Garatonium et Orellium ad Cic. orat. p. Mil. 9.

2. *et sicut*] ita A et ni fallor etiam B, nam ad hanc vulgatam scripturam nihil enotatum reperio, et Lipsius ex coniectura; in P. 1, 2, Ven. et reliquis editionibus ante Lipsium legitur *ut sicut.*

4. *inquisitiones*] in editt. Bipont. (teste Walthero), Engel. et Halensi a. 1808 legitur *inquisitores.*

4. *et loquendi*] Lipsius maluit *etiam loquendi;* Heinsius *eloquendi.* neutro egemus; Lipsii emendationem iam Acidalius reiecit. ceterum non assentior Handio, qui in Tursellino 2, 529 *et* oppositum esse particulae *que* putat, qua de coniunctione optime disseruit Hermannus in praefatione ad editionem tertiam Oedipi regis p. XVI. *et* hoc loco nihil significare potest nisi *etiam.*

7. *et quamquam*] editor Bipontinus emendavit *sed* eumque sequuntur Engelius et Weikertus. verum Latini saepe particulam simpliciter copulantem ponunt, ubi nos adversativa utimur. v. Handii Tursell. 2, 494 et 496, 4. sic Ann. 5, 3 *missaeque in Agrippinam ac Neronem litterae, quas pridem adlatas et cohibitas ab Augusta credidit vulgus.* 13, 22 *Syria P. Anteio destinata, et variis mox artibus elusus ad postremum in urbe retentus est.*

7. *primo st. b. saeculi ortu*] i. statim initio imperii. nam saeculum non solum significat spatium centum annorum, sed etiam hominum generationem, *γενεάν*, (unde Nestor dicitur *trisaeclisenex* a Naevio, v. Gierig. ad Ovid. Metam. 12, 188 coll. Iliad. 1, 250) aut aetatem. itaque Tacitus a Nerva, qui a. u. c. 849 ad principatum vocatur, novum saeculum incipit.

8. *dissociabiles*] B *dissolubiles.* Tacitus utitur verbo Horatiano (v. Od. 1, 3, 22) et eodem quidem sensu, quem huic vocabulo poeta tribuisse videtur. nam ut res dissociabiles sunt *ἄμικτα*, ita oceanus dissociabilis est *ἄμικτος*. sic enim Reiskius Horatii locum recte interpretatus est.

ciabiles miscuerit, principatum ac libertatem, augeatque quotidie felicitatem temporum Nerva Traianus, nec spem modo ac votum Securitas publica sed ipsius voti fiduciam ac robur assumpserit; natura tamen infirmitatis humanae tardiora sunt remedia quam mala; et ut corpora nostra lente augescunt, cito exstinguuntur, sic ingenia studiaque

1. *miscuerit*] de constructione coniunctionis *quamquam* cum modo coniunctivo v. Ernest. ad Ann. 3, 55. Spalding. ad Quintil. prooem. 18. Zumpt. gr. l. l. § 574.

2. *felicitatem temporum*] sic scriptum est in utroque Vaticano et receptum ab Ulr. Beckero, Hertelio, Peerlkampio idque recipiendum fuisse primus me docuit Odofr. Muellerus, quum haec esset formula solemnis, etiam in nummis expressa; v. Rasche lexic. numm. II, 940. suppl. II, 990; a Peerlkampio praeterea laudantur Spanhem. dissert. VIII. de usu et praest. num. p. 726 et Bentlei. ad Horat. carm. saec. 66. — *felicitatem imperii* Put. 1 et 2; in edit. Veneta ex errore typographi legitur *falicitatem*, quem errorem corrigens Beroaldus primus scripsit *facilitatem* quod vel retinuerunt vel defenderunt Alciatus, Rhenanus, Gronovius, Ernestius, alii. *felicitatem* ex coniectura scripsit Lipsius eumque sequuti sunt Pichena, Broterius, Oberlinus, alii. — *felicitas temporum* respondet verbis *beatissimi saeculi;* felicitas enim augebatur, non facilitas; neque est quod defendamus lectionem quae profecta est a litteris perverse positis.

2. *nec spem modo* cet.] Engelius hunc locum tentavit sed immerito. *ipsum votum* est res ipsa quae desideratur itaque pro voto expleto. bene sibi opponuntur securitatis votum, quod Domitiano imperante in numis modo, marmoribus atque inscriptionibus erat expressum (v. Gruteri inscript. et Spanhemium de usu et praest. num.) et ipsa securitas, quae Traiano principe re vera tenebatur. Peerlkamp laudavit Vellei. Paterc. 2, 103 *laetitiam illius diei concursumque civitatis et vota paene inserentium coelo manus spemque conceptam perpetuae securitatis aeternitatisque Romani imperii vix in illo iusto opere abunde persequi poterimus.*

4. *assumpserit*] de zeugmate in his verbis v. Walch. melet. crit. p. 13. ad verba enim *spem ac votum* supplendum est sive *suscepit* (v. Ann. 12, 13, 4) sive *concepit.*

5. *ut corpora nostra lente augescunt*] sic A (in quo tamen adverbium *lente* omissum est,) et B, Put. 1 et 2; in Veneta primum excidit pronomen *nostra*, quod nuper Beckerus et Peerlkamp revocarunt.

6. *exstinguuntur*] A, P. 1, 2, Ven. Ber. Alc. *extinguuntur.*

oppresseris facilius quam revocaveris. subit quippe etiam ipsius inertiae dulcedo et invisa primo desidia postremo amatur. quid, si per quindecim annos, grande mortalis aevi spatium, multi fortuitis casibus, promptissimus quisque saevitia principis interciderunt? pauci et, ut ita dixerim, non modo aliorum sed etiam nostri superstites sumus, ex-

3. *quindecim annos*] Domitianus enim imperavit ab a. u. c. 81 usque ad annum 96.

4. *multi fortuitis casibus*] uterque codex Vaticanus, P. 1, 2, Venet. et reliquae editiones veteres usque ad Lipsium *multis fortuitis casibus*, quam lectionem ego in primae editionis textum reduxi, tum Bachius recepit. nunc obtemperavi Lipsio, qui emendavit *multi*, quamquam non vera esse puto, quae Walchius et Hertelius de vetere lectione dixerunt. Walchio molestum est visum *multis* eiusque collocationem non esse latinam affirmavit, quod vereor ne inconsideratius locutus sit. sic Ann. 1, 16 *cum Pannonicas legiones seditio incessit, nullis novis caussis, nisi quod mutatus princeps licentiam turbarum — ostendebat.* quod vero Hertelius non concoqueret, quomodo aliquis et saevitia principis et casibus fortuitis mori quiret, non miror; nam hoc concoquere nemo umquam poterit. at ego quum scriberem *multis*, ablativum non coniunxi cum verbo *interciderunt*, quod aeque absurdum fuisset atque altera interpretatio quam ipse improbaveram; sed illa verba pro ablativo absoluto habui. attamen non debebam reiicere Lipsii emendationem, qua loco concinnitas redditur. — voc. *fortuitus* explicavit Waltherus ad Hist. 1, 4 *ut non modo casus eventusque rerum, qui plerumque fortuiti sunt, sed ratio etiam caussaeque noscantur.*

4. *promptissimus quisque*] i. virtute. *promptus* etiam nude et simpliciter ad ingenii praestantiam referri iam monuit Manutius ad Cic. Verr. 4, 17, 37. exempla collegerunt Gronovius ad Ann. 1, 13 et Ruhnkenius ad Vellei. 2, 75. — de numero plurali *interciderunt* v. Zumpt. gr. l. l. § 367.

5. *pauci et, ut ita dixerim*] A, P. 1, 2, Ven. Ber. Alc. *et uti dixerim;* Rhenanus correxit quod nunc in textum revocavi atque recipiendum esse dixi in annotatione ad Dialog. 34, 2, scilicet propter dictionem *sui superstitem esse.* etiam in cod. B Clemens ni fallor vulgatam legit. editor Bipontinus copulam sustulit eumque sequuti sunt Ernestius, Engelius, alii. sed duae res distinguuntur, et quod pauci superstites sunt et quod non modo aliorum sed etiam sui superstites sunt. — eadem loquendi forma est Ann. 14, 53 *ut sic dixerim.*

6. *nostri superstites sumus*] Cic.

emptis e media vita tot annis, quibus iuvenes ad senectutem, senes prope ad ipsos exactae aetatis terminos per silentium venimus. non tamen pigebit vel incondita ac rudi voce memoriam prioris servitutis ac testimonium praesentium bonorum composuisse. hic interim liber honori Agricolae soceri mei destinatus professione pietatis aut laudatus erit aut excusatus.

ad Quint. fr. 1, 3 *utinam te non solum vitae sed etiam dignitatis meae superstitem reliquissem.* Tac. Ann. 3, 4 *integram illi sobolem ac superstitem iniquorum precarentur.* Suet. Tib. 62 *quod superstes omnium suorum exstitisset.* sed Tacitus insolenter loquutus est. sui enim superstes dicitur, qui nunc quasi reviviscit, quum vitam antea per silentium degeret adempto loquendi audiendique commercio itaque quodam modo mortuus fuisse videretur. Walchius laudavit Plinii Epist. 8, 14 *eadem mala iam senatores per multos annos vidimus tulimusque, quibus ingenia nostra in posterum quoque hebetata, fracta, contusa sunt.*

4. *prioris servitutis*] *senectutis* uterque cod. Vatic., P. 1, 2, Ven. et reliquae editiones usque ad Lipsium. lectio vulgata, quae in Ursini codice legi traditur, est ingeniosa Lipsii emendatio. Tacitus enim non de sua senectute (in quo fallitur Rhenanus, qui veterem lectionem de cruda et viridi senectute intelligit, quum scriptor se ad ipsos exactae aetatis terminos venisse dicat, nam Tacitus nondum quadraginta quinque annos natus fuit (v. Walch. p. 129), sed de priorum temporum servitute et praesentium sub Nerva felicitate clare loquitur. Plin. Epist. l. supra l. *priorum temporum servitus ut aliarum optimarum artium sic etiam iuris senatorii oblivionem quandam et ignorationem induxit. — itaque reducta libertas rudes nos et imperitos deprehendit.* — In edit. Gryphii a. 1542 errore operarum exstat *prioribus.*

5. *memoriam ac testimonium composuisse*] sic Ann. 1, 1 *componere res.* Hist. 2, 101 *monumenta.* Vellei. 1, 3, 2 *tempora* ubi v. Ruhnkenium. perfectum vero *composuisse* male intellexit Hertelius, quum praefationem perfecto operi adiectam esse diceret; nam quominus ita explicemus, impedit particula *interim.* sed verba *pigebit composuisse* referenda sunt ad alios historiarum libros quos Tacitus se compositurum esse profitetur.

5. *interim*] puto significare *vor jetzt, vorerst, einstweilen,* v. Handii Tursell. 3, 426, atque hoc adverbium ita collocatum est ut supplendum sit participium aliquod, *vulgatus* sive *editus,* v. Roth. p. 217.

6. *laudatus erit aut excusatus*] de forma v. Zumpt. gr. l. l. §168 et

Gnaeus Iulius Agricola vetere et illustri Foroiuliensium 4
colonia ortus utrumque avum procuratorem Caesarum habuit,
quae equestris nobilitas est. pater Iulii Iulius Graecinus,

de usu temporis § 511. neque est futurum subiunctivi ut Bachio visum est.

1. *Gnaeus Iul. Agricola*] praeter Tacitum brevissimam nobis de vita huius viri narrationem reliquit Dio Cassius 66, 20.

1. *vetere*] in editt. Oberlini et Waltheri scriptum est *veteri*, nescio unde. nam ad vulgatam nihil e codicibus enotatum invenio atque editiones et veteres et recentes eandem formam retinent. de utraque forma apud Tacitum v. Walth. ad Histor. 3, 51, ubi tamen et libri scripti et editiones principes *vetere* praebent, non *veteri*. et sane illa forma est frequentior.

1. *Foroiuliensium colonia*] *Forum Iulii*, nunc *Fréius*, Galliae Narbonensis oppidum ab Iulio Caesare conditum, quo Augustus rostratas naves Actiaca victoria captas miserat (Ann. 4, 5). propterea fortasse illustris colonia nominatur.

2. *procuratorem Caesarum*] B *Caesaris*. — procuratores Caesaris, etiam *curatores* sive *rationarii Caesaris* nominati, illius pecunias et tributa in provinciis exigebant, eodem quo quaestores munere fungebantur, absente propraetore ius interdum dicebant.

3. *quae equestris nobilitas est*] i. munus procuratoris est dignitas vel munus equestris nobilitatis, non senatoriae; opponitur enim haec nobilitas, qua uterque avus fuit, senatorio ordini, cuius fuit pater Agricolae.

3. *pater Iulii Iulius Graecinus*] sic uterque codex Vatic., P. 1, 2, Ven. et reliquae editiones veteres; Lipsius tacite eiecit nomen *Iulii* idemque post eum omnes fecerunt, donec a me vetus lectio restituta est omnibus fere repugnantibus, exceptis Peerlkampio, Walthero, Bachio. sententiam enim loci poscere interpositum illud *Iulii* recte dixit Waltherus. — *Grecinus* cod. A. P. 1, 2. — de Iulio Graecino Seneca de Benef. 2, 21 *si exemplo magni animi opus est, utemur Graecini Iulii viri egregii, quem C. Caesar occidit ob hoc unum, quod melior vir esset, quam esse quemquam tyranno expediret.* et Epist. 29 *Iulius Graecinus vir egregius.* scripsit de re rustica aut certe de vineis, Columella 1, 1 *Iulii Attici velut discipulus duo volumina similium praeceptorum de vineis Iulius Graecinus composita facetius et eruditius posteritati tradenda curavit.* citat et Plinius eundem inter scriptores 14, 2 et 16, 44. Lips. Numum Buthrotiorum, nunc Botrinto, in Epiro, protulit cl. Pellerin, *Recueil des médailles de peuples et de villes* vol. 1. p. 83 tab. 12 n. 5 inscriptum I. GRAECINVS QVIN. PER. id est *Iulius Graecinus Quinquennalis perpetuus.* incertum tamen, utrum ad Iul. Graecinum Agricolae patrem pertineat. Brot.

senatorii ordinis, studio eloquentiae sapientiaeque notus iisque ipsis virtutibus iram Gaii Caesaris meritus. namque Marcum Silanum accusare iussus et, quia abnuerat, interfectus est. mater Iulia Procilla fuit rarae castitatis. in huius sinu indulgentiaque educatus per omnem honestarum artium cultum pueritiam adolescentiamque transegit. arcebat eum ab illecebris peccantium praeter ipsius bonam integramque naturam, quod statim parvulus sedem ac ma-

1. *sapientiae*] i. philosophiae. v. ad c. 2.

2. *iisque ipsis virtutibus*] sic uterque codex Vaticanus, quod nuper receperunt Beckerus, Peerlkamp, Hertelius, Bachius. pronomen *ipsis* primum a Puteolano, tum a reliquis omissum erat. sed vis est in pronomine; iis enim ipsis virtutibus, eloquentia et sapientia, quarum caussa electus erat, ut Silanum accusaret, iram Caligulae meritus interficitur. Dahlii coniecturam *suisque virtutibus* iniuria recepit Seebodius. — de v. *meritus* vide quae adnotavimus ad Dial. 9, 9.

3. *Marcum Silanum*] A, P. 1, 2, Ven. Alc. reliqui usque ad Lipsium *Sillanum*. socer fuit Gaii Caligulae et ab eodem interfectus. Sueton. Calig. 23 *Silanum item socerum ad necem secandasque novacula fauces compulit*. De Silanorum familia v. Lipsium ad Ann. 13, 1.

3. *iussus et — interfectus est*] Acidalius *et* deleri vult; foret elegantior oratio. sed et in aliis locis sic Tacitus ut c. 7 *nuntio affectati a Vespasiano imperii deprehensus ac statim transgressus est*. ERN. adde c. 9 *minus triennium in ea legatione detentus ac statim — revocatus est*. aliter tamen locum explicat Handius in Tursell. 2, 474 qui particulam coniungit cum verbis quae caussam exponunt *quia abnuerat*.

4. *rarae castitatis*] de ellipsi in hac appositione v. Roth. p. 142.

5. *in huius sinu indulgentiaque*] non opus est Heinsii coniecturis *diligenti cura* sive *indulgentia absque*. indulgentiam intellige de matris circa educationem cura, qua liberos suaviter educandos curat, molli quidem, sed non ea, quam vituperat Quintil. 1, 3. vide egregium de hac institutione locum in Dialogo c. 28.

5. *honestarum artium*] B *honestatis artium*. sic Dial. 28, 6 *ut — uniuscuiusque natura toto statim pectore arriperet artes honestas*.

6. *arcebat eum*] B *arcebat tamen* omisso pronomine *eum*.

7. *integram naturam*] Dial. 1. 1. *sincera et integra et nullis pravitatibus detorta — natura*.

8. *quod — habuerit*] sic A et edi-

gistram studiorum Massiliam habuerit, locum Graeca comitate et provinciali parcimonia mixtum ac bene compositum.

tiones fere omnes; B vero *habuit.* Lipsius correxit *habuerat*, Ernestius maluit *haberet.* ego coniunctivum retinueram, quia caussam ab ipso Agricola prolatam esse cogitavi. Agricola ita de se ipse dicere solebat: *quod — habui, me arcebat* cet. tempus vero perfectum defendebam locis Cic. Acad. 1, 10, 35. Tacit. Hist. 4, 52. Sueton. Caes. 67, ubi tempus imperfectum praecedit et perfectum sequitur. atque idem adhuc sentio. Waltherus coniunctivum positum esse putat, quia subiectum peculiari orationis membro circumscribatur; sed ista caussa nulla est.

1. *Massiliam*] urbs nobilis in Gallia Narbonensi condita a Phocaeis, hodie *Marseille*, de cuius laudibus Cic. p. Flacco 26, 63 *neque vero te, Massilia, praetereo, quae L. Flaccum militem quaestoremque cognosti: cuius ego civitatis disciplinam atque gravitatem non solum Graeciae, sed haud scio an cunctis gentibus anteponendam dicam: quae tam procul a Graecorum omnium regionibus, disciplinis linguaque divisa, quum in ultimis terris cincta Gallorum gentibus, barbariae fluctibus alluatur, sic optimatum consilio gubernatur, ut omnes eius instituta laudare facilius possint quam aemulari.* — Quod ad studia pertinet, Tacitus narrat Ann. 4, 44 (Domitium) *seposuit Augustus in civitatem Massiliensem, ubi specie studiorum nomen exsilii tegeretur.*

2. *provinciali parcimonia*] Ann. 3, 55 *novi homines e municipiis et coloniis atque etiam provinciis, in senatum crebro assumpti, domesticam parcimoniam intulerunt.* et eundem fere in modum laudat Plinius epist. 1, 14, 4 *Italiae* (cispadanae) *verecundiam, frugalitatem, rusticitatem antiquam.*

2. *locum — mixtum*] est enallage pro: locus in quo — mixta erant; similiter c. 25 (milites) *mixti copiis et laetitia.* Hist. 1, 9 *exercitus — nec vitiis nec viribus miscebantur.* 1, 10 (vir) *malis bonisque artibus mixtus.* — scripsi autem *mixtum*, quamquam et codices et editiones veteres habent *mistum;* Walchius laudavit Pierium ad Virgil. Aen. 1, 488. Cort. ad Sall. adde Walther. ad n. l.

2. *bene compositum*] Peerlkamp haec annotavit. „*Bene compositum* non recte sequitur *mistum.* nam quod in humana natura ita mistum dicitur, hoc bene compositum per se iam intelligitur. Et exspectasses post voculam *ac* maius aliquid, quo superius, ut expressum lenius, corrigeretur. hoc accipiemus restituentes: *mistum ac pene compositum.*" id vero ipsi assentiri non possum. nam quum duae aut plures res mixtae sunt aut ex duabus rebus una conflata est, non statim sequitur ut illa mixtura sive compositio bona sit. necesse est enim, ut neutra pars alteram superet. igitur recte dixit Tacitus *bene compositum*, quod maius est

memoria teneo solitum ipsum narrare, se in prima iuventa studium philosophiae acrius, ultra quam concessum Romano ac senatori, hausisse, ni prudentia matris incensum ac flagrantem animum coercuisset. scilicet sublime et erectum

quam *mixtum*. haec autem significatio v. *componendi* est in usu medicinali.

1. *solitum ipsum narrare*] in editionibus Beckeri, Hertelii et Rothii excidit pronomen *ipsum*.

1. *se in prima iuventa*] sic editio princeps et quae eam sequuntur. Broterius e cod. A protulit *prima in iuventa*, quod receperunt Beckerus, Hertelius, Peerlkamp, Rothius, Bachius; et sic praepositio post adiectivum posita est Ann. 1, 4 *hunc et prima ab infantia eductum in domo regnatrice*. sed Maggiorani vulgatam verborum collocationem in eodem codice legit. B omissa praepositione habet *se prima iuventa*, quod defendi potest Ann. 4, 1 (Aelius Seianus) *prima iuventa C. Caesarem divi Augusti nepotem sectatus*. attamen retinui praepositionem, quia diuturnitas temporis designatur.

2. *acrius, ultra quam*] sic optime uterque codex Vaticanus, P. 1, 2, et reliquae editiones veteres. Lipsius emendaverat *ultraque quam* idque Bipont. et Engel. receperunt. Pichena pro *acrius* coniecit *ac iuris*, quam coniecturam Gronovius bene redarguit. *acrius* vero non est adiectivum, ut ego eram interpretatus et post me Peerlkamp et Hertelius, sed adverbium quod coniungendum est cum v. *hausisse*, et sententia *ultra quam* cet. explicationem continet. quam suspectum autem atque invisum fuerit imperatoribus philosophiae studium, iam supra c. 2 expositum est; vide praeterea Ann. 14, 57. 16, 22. atque ipse Cicero de philosophiae studio se excusavit, v. de Offic. 2, 1 ibique Garvii interpr.

3. *ac senatori*] i. futuro, vel potius iuveni, cuius pater fuit ex ordine senatorio.

3. *hausisse*] non est accipiendum pro *hausurum fuisse*, ut Walchius primum explicavit, tum Bötticherus et Bachius; sed est tempus perfectum. nam in oratione recta Agricola ita narrabat: studium philosophiae acrius hausi, ni prudentia matris meum — animum coercuisset. qua de constructione v. Zumpt. gr. l. § 519. cfr. infra c. 13 et 37. et Roth. p. 255. — *studium phil. haurire* dictum est pro: *philosophiam haurire*; sic Dial. 28, 6 *haurire aliquid universum*; 30, 2 *omnes philosophiae partes*; 31, 6 *artes*.

4. *erectum*] P. 1, 2, Ven. Alc. Rhen. *rectum*; Lipsius emendavit, quod etiam in utroque codice legi videtur. Quintil. 11, 1, 16 *habet enim mens nostra natura sublime quiddam et erectum*, ubi nonnulli codices etiam legunt *rectum*.

ingenium pulchritudinem ac speciem magnae excelsaeque gloriae vehementius quam caute appetebat. mox mitigavit ratio et aetas, retinuitque, quod est difficillimum, ex sapientia modum.

Prima castrorum rudimenta in Britannia Suetonio

1. *pulchritudinem ac speciem*] non significat *pulchram speciem*, *das schöne Ideal*, sed *species* auget vim *pulchritudinis*, v. Boettich. lex. Tacit. proleg. p. 81. Hand. Tursell. 2, 477. de voce *species* cfr. Passov. ad Germ. c. 16.

1. *magnae excelsaeque gloriae*] sic B et Broterio quidem teste (Maggiorani tacet) etiam A; libri impressi ordine inverso habent *excelsae magnaeque gloriae*; Broterii fidem sequuti nuper vulgatam scripserunt Beckerus, Peerlkamp, Hertelius, alii. idem ego nunc ex altero codice recepi et propter orationis numerum et quia excelsum esse maius puto quam magnum. sic Cic. p. Murena 29, 60 *finxit te* (Catonem) *ipsa natura — ad omnes virtutes magnum hominem et excelsum.*

2. *vehementius quam caute*] de hac constructione v. Zumpt. gr. l. § 690.

2. *mox*]. Rothius bene monuit *mox* h. l. significare *nachher*, *später*; nam haec particula non semper breve intervallum, se etiam longiorem temporis tractum comprehendit; v. Hand. Tursell. 3, 657.

3. *retinuitque*] B *retinuit* omissa coniunctione.

3. *ex sapientia modum*] Lipsii coniecturam *et sapientiae* Ernestius parum recte laudat, neque alteruter eorum nec Broterius huius loci sensum intellexisse mihi videntur. *modus* significat σωφροσύνην, quam vocem Platonicam quo modo Cicero verterit, v. Orellium ad Cic. Tuscul. p. 392. ex acri philosophiae studio perfectaque eius cognitione Agricola id retinuit quod difficillimum idemque pulcherrimum est, scilicet ut aequum animum et auream illam mediocritatem, qua pauci fruuntur, in omnibus vitae et publicae et privatae conditionibus servaret. pro commentario est illud poetae: *Est modus in rebus, sunt certi denique fines* cet. atque eodem sensu c. 42 laudatur *moderatio prudentiaque Agricolae.*

5. *prima castrorum rudimenta*] inde ab a. u. 812. *primum* cum voc. *rudimentum* coniunctum tuetur Drakenb. ad Liv. 1, 3, 4. de re ipsa Plin. Epist. 8, 14, 5 *adolescentuli statim castrensibus stipendiis imbuebantur, ut imperare parendo, duces agere, dum sequuntur, adsuescerent.* Suet. Octav. 38 *liberis senatorum, quo celerius rei publicae adsuescerent, protinus virilem togam, latum clavum induere et curiae interesse permisit, militiamque auspicantibus non tribunatum modo legionum sed et praefecturas alarum dedit, ac ne quis expers castrorum esset, binos plerumque laticlavios praeposuit singulis alis.*

Paulino diligenti ac moderato duci approbavit, electus quem contubernio aestimaret. nec Agricola licenter more iuvenum, qui militiam in lasciviam vertunt, neque segniter ad voluptates et commeatus titulum tribunatus et inscitiam rettulit; sed noscere provinciam, nosci exercitui, discere a

1. *Paulino*] sic editiones veteres; de scriptura codicum nihil constat; omnes fere recentiores *Paullino*.

1. *diligenti — duci*] Histor. 2, 25 (Suetonius Paulinus) *cunctator natura et cui cauta potius consilia cum ratione quam prospera ex casu placerent.* 2, 31 S. P. *dignum fama sua ratus, qua nemo illa tempestate militaris rei callidior habebatur.*

1. *approbavit*] i. fecit ut ei probarentur. c. 42 *operam suam in approbanda excusatione offerre.* Ann. 15, 59 *dum ipse maioribus, dum posteris mortem approbaret.* sic etiam Quintil. 1, 4, 20 *quae mihi non approbantur.* 7, 3, 25 *in approbando refellendoque fine.* alii scriptores hoc sensu dixerunt *probare.* Plin. Epist. 10, 20, 3 *quum omnia facta dictaque mea probare sanctissimis moribus tuis cupiam.*

1. *quem contubernio aestimaret*] postquam Agricola prima castrorum rudimenta duci probavit, ab illo electus et dignus contubernio habitus est. itaque *aestimare* significat *magni aestimare* sive *magni facere*, et *contubernio* est ablativus pretii. Iuvenes optimae spei a ducibus in contubernium assumebantur. ita Caesar *stipendia prima in Asia fecit M. Thermi praetoris contubernio.* Sueton. Iul. Caes. 2. vid. Ernest. clav. Cic. s. v. *contubernalis.*

2. *licenter — segniter*] i. agens; v. Roth. p. 217. *licenter* spectat ad voluptates, *segniter* ad commeatus.

3. *neque segniter*] B *nec segniter.*

4. *commeatus*] iam Rhenanus in castigationibus recte interpretatus est, „ut posset abesse et vagari." exempla dederunt I. Fr. Gronovius ad h. l. et Broterius ad Hist. 1, 46.

4. *titulum tribunatus et inscitiam rettulit*] optime interpretatus est Rigler. *inscitia* coniungenda est cum voc. *tribunatus* atque explicanda, *nomen tribunatus cum inscitia iunctum.* quod vero *referre ad gloriam, laudem, virtutem,* idem valet hoc loco *rettulit ad voluptates et commeatus.* nam *referre* translate significat *etwas in Beziehung bringen zu etwas, etwas im Auge haben, beabsichtigen bei etwas,* cet. sic ut unum ex multis exemplis adhibeam Plin. Epist. 1, 22, 5 *ornat haec magnitudo animi, quae nihil ad ostentationem, omnia ad conscientiam refert.* itaque sensus est: titulum tribunatus et inscitiam officiorum quae cum hoc munere coniuncta erant non praetexuit ut voluptatibus indulgeret aut commeatus sumeret.

peritis, sequi optimos, nihil appetere in iactationem, nihil ob formidinem recusare simulque et anxius et intentus agere. non sane alias exercitatior magisque in ambiguo Britannia fuit. trucidati veterani, incensae coloniae, intercepti exercitus; tum de salute, mox de victoria certavere. quae

1. *sequi*] P. 2 *equi*, initio paginae; idem error in Veneta, sed medio versu.

1. *in iactationem*] sic uterque Vaticanus, cod. Ursini, P. 1 et 2; praepositio primum excidit ex edit. Veneta, tum omissa est a Beroaldo, Alciato, Rhenano. hic in castigationibus correxit *iactatione* (non *ob iactationem*, quod nescio a quo est profectum), receptum in Francof. et Colon., quarum in margine notatur *iactationem*, tum ab aliis. c. 8 *nec Agricola umquam in suam famam gestis exsultavit.* c. 18 *nec Agricola prosperitate rerum in vanitatem usus.* c. 24 *in spem magis quam ob formidinem.* Ann. 11, 6 *famam in posteros praemia eloquentiae cogitare.* de hoc conciso dicendi genere, quod inde a Livii tempore in usum venit, ut sententiae finales uno nomine et praefixa praepositione comprehenderentur, consule Handii Tursell. 3, 316.

2. *simulque et anxius*] ita primum Broterius ex A, quocum consentit B; Puteolanus omisit *et* eumque sequuti sunt et veteres et recentiorum nonnulli. Walchii errorem iam alii refellerunt.

3. *alias exercitatior*] Acidalius corrigebat *exercitior;* sane *exercitus* hoc sensu est legitimum verbum, quamquam et *exercitatus* prope simili sensu interdum dicitur. Horat. epod. 9, 31 *exercitatae Syrtes Noto* (ad quem l. v. Lambinum). Cic. ep. 4, 5 *in illis rebus* (malis) *exercitatus animus.* ERN. Cic. som. Scip. 9 *hanc tu exerce in optimis rebus*; *sunt autem optimae curae de salute patriae, quibus agitatus et exercitatus animus velocius in hanc sedem et domum suam pervolabit.*

3. *in ambiguo fuit*] i. e. ambigua fuit sive de eius possessione ambigebatur. v. Roth. p. 221 et meam annot. ad Dial. 16, 8.

4. *incensae coloniae*] Lipsius magis ex rei fide, v. Ann. 14, 31 et Agr. 16, scribendum censet *incensa colonia.* sed non solum *Camulodunum* verum etiam *Londinium* captum et direptum eademque clades municipio *Verulamio* fuit. Ann. 14, 33. itaque Tacitus simul de his oppidis cogitasse videtur, quamquam non erant coloniae cognomento insignia. Rothius tamen p. 111 in numero plurali et huius et sequentis nominis amplificationem agnoscit.

4. *intercepti exercitus*] uterque Vaticanus, Freinshemius, Heinsius, Broterius, Seebodius *intersepti.* utrumque recte dici potest; illud praetuli, quod legio nona fusa est. Ann. 14, 32. de verbo *intercipiendi* v. Oudendorp. ad Suet. Claud. 1. Drakenb. ad Liv. 3, 30, 8 et Roth. ad h. l.

5. *tum de salute, mox de victo-*

cuncta etsi consiliis ductuque alterius agebantur ac summa rerum et recuperatae provinciae gloria in ducem cessit, artem et usum et stimulos addidere iuveni, intravitque animum militaris gloriae cupido, ingrata temporibus, quibus sinistra erga eminentes interpretatio nec minus periculum ex magna fama quam ex mala.

6 Hinc ad capessendos magistratus in urbem digressus Domitiam Decidianam splendidis natalibus ortam sibi iunxit, idque matrimonium ad maiora nitenti decus ac robur fuit; vixeruntque mira concordia per mutuam caritatem et invicem se anteponendo, nisi quod in bona uxore tanto maior

ria certavere] simile est quod de Atheniensibus refert Justin. 5, 6, 8 *tanta virtus animorum erat, ut cum paulo ante salutem desperaverint, nunc non desperent victoriam.*

1. *alterius*] i. ducis. de significatione *alterius* v. si tanti est Zumpt. gr. l. § 141.

2. *recuperatae*] ita scribere malui cum B, Puteolano, Alciato, Rhenano, quamquam etiam in inscriptionibus legitur *reciperare.* de verbi significatione v. Manutium et Fr. Aug. Wolfium ad orat. de harusp. resp. 25, 54.

3. *artem et usum*] Lipsius maluit *attamen et*, quod Bipontino non displicet; Seebodius *tamen et;* Peerlkamp *artem tamen et*, quia propter vicinum *artem* hoc vocabulum facile excidere potuerit. contra Lipsium bene monuit Schefferus et artem militarem et imperatoriam disci a bono duce; particulae autem adversativae innumeris locis omittuntur, quo oppositio augetur.

3. *addidere*] non est cogitandum de zeugmate. Ann. 3, 22 *quamvis infami ac nocenti miserationem addiderat.* 4, 73 *per intervallum adventantes neque constantiam addiderant turbatis.*

7. *digressus*] fortasse a. u. 815.

10. *per mutuam caritatem*] *per* non caussam notat, ut olim interpretatus sum et post me Boettich. in lex. Tac. p. 349, sed rationem ac modum; neque caritas respondet nostro *Werthschätzung*, sed significat arctissimum amoris vinculum — mutuo se diligebant et invicem se anteponebant.

11. *se anteponendo*] B *se appetendo*, quod ferri nequit. nam appetere aut ii dicuntur, qui blande sese applicant ad potentiorem captandae benivolentiae caussa; aut si hoc verbum in amore usurpatur, in quo est vocabulum proprium, plerumque in malam partem dicitur. v. Cort. ad Sallust. Cat. 25. Ruhnk. dictata ad Ovid. Heroid. 20, 227.

11. *nisi quod — culpae est*] est

laus, quanto in mala plus culpae est. sors quaesturae provinciam Asiam, proconsulem Salvium Titianum dedit, quorum neutro corruptus est, quamquam et provincia dives ac parata peccantibus et proconsul in omnem aviditatem pronus quantalibet facilitate redempturus esset mutuam dissimulatio-

hic locus, ut ait Ernestius, omnino ex eo genere, quod facile in varias partes interpretando trahi potest, ut difficile sit aliquid certi reperire. ego quod olim sensi de hoc loco etiamnunc sentio. Laus, quae ex mira illa concordia et mutua caritate nascebatur, utrique et Agricolae et Decidianae pariter magna, nisi quod in bona uxore, qualis erat Decidiana, maior laus virtutis est quam in bono viro, ut in Agricola, et tanto quidem maior, quanto in mala femina plus culpae est quam in malo viro. feminis enim peccantibus semper plus culpae imputatur quam viris, quare bonis feminis maior laus tribuenda est quam viris. *nisi quod* non est referendum ad v. *anteponendo* sed ad totam sententiam, neque ea quae antecedunt corrigit, sed sententiam aliquam omissam vel coarctat vel auget. v. Rothium de synonymis p. 40 et ad Agric. p. 256 et 245 ubi etiam de duplici comparativo disputat. comparantur similes sententiae. Sophoclis fragmentum ex Phaedra (Stobaei serm. 66. et Soph. trag. ed. Brunck 4, 665)

οὕτω γυναικὸς οὐδὲν ἂν μεῖζον κακὸν
κακῆς ἀνὴρ κτήσαιτ᾽ ἂν οὐδὲ σώφρονος
κρεῖσσον.

ad quem locum Brunckius ex Hesiodi operibus v. 700 sq. adscripsit sententiam quae iisdem fere verbis legitur in Simonidis frag. 3 in Br. Gnomicis p. 99

γυναικὸς οὐδὲν χρῆμ᾽ ἀνὴρ ληΐζεται
ἐσθλῆς ἄμεινον οὐδὲ ῥίγιον κακῆς.

lege etiam quae de Plotina dixit Plinius paneg. 83 et de mulierum arrogantia Iuvenalis sat. 6, 167 sq.

2. *Salvius Titianus*] Lucius Sal. Otho Tit. frater Othonis natu maior. v. Sueton. Othon. 1. Tac. Hist. 1, 75. 77.

4. *parata peccantibus*] h. e. magnam facultatem et materiam peccandi praebens, propter abundantiam divitiarum et voluptatum, iis qui ad vitia sunt proni. Ern. iam Cicero in epist. ad Quintum fr. 1, 1, 19 *Asiam provinciam corruptricem* nominat. cfr. idem p. Mur. 9. de constructione v. *paratus* compara Hist. 1, 6 *ingens novis rebus materia — audenti parata.*

5. *quantalibet*] B *quantilibet.*

5. *dissimulationem mali*] Lipsius in editione a. 1585 v. *mali* redundare suspicabatur, quae annotatio excidit in editionibus posterioribus.

nem mali. auctus est ibi filia in subsidium simul et solatium; nam filium ante sublatum brevi amisit. mox inter quaesturam ac tribunatum plebis atque ipsum etiam tribunatus annum quiete et otio transit, gnarus sub Nerone temporum, quibus inertia pro sapientia fuit. idem praeturae

1. *auctus est filia*] ita etiam Cicero loquitur ad Attic. 1, 2 *filiolo me auctum scito*.

1. *in subsidium simul et solatium*] A et Broterius, fortasse etiam B, quum ad Broterii textum nulla lectionis varietas ex hoc codice adscripta sit. et amat Tacitus vocabula *simul et* ita ponere. v. Ann. 15, 48 *coepta simul et aucta coniuratione*. 16, 8 *inania simul et falsa*. infra c. 7. 24. 35. Dial. 5, 4 *parere simul et tueri amicitias*. libri veteres *in subsidium et solatium simul*.

2. *ante sublatum*] *tollere* sive *suscipere infantem* illustravit Ruhnk. ad Terent. Andr. 2, 3, 14 et Bremi ad Suet. Aug. 5.

2. *inter quaesturam*] A, P. 1, 2, Ven. Alc. *inter praeturam quaesturam ac tribunatum*. voc. *praeturam* primus tacite omisit Rhenanus idemque vocabulum deesse videtur in B. editionis Venetae lectionem Lipsius quoque notaverat in editione a. 1585, sed haec ipsius annotatio postea omissa est.

3. *atque ipsum etiam*] sic A et B, receptum a Beckero, Peerlkampio, aliis. editiones principes *atque etiam ipsum* ab aliis retentum.

4. *quiete et otio*] B *quietis*. — Senatus perhibuit Plinio *in tribunatu quietis, in praetura modestiae testimonium*. Plin. paneg. 95. Brot. eadem synonyma coniunguntur infra c. 21. 42. Dial. 38, 4. cfr. Rothii lib. de Taciti synonymis p. 10.

4. *transit*] sic A et B, P. 1, 2, Ven. Alc. Rhen. Lips. Broter.; quod Rhenanus in castigationibus proposuerat *transiit*, Ernestius probavit et Bipontinus, Oberlinus, alii receperunt. sed in his rebus editores sibi non constant; compara e. c. quae Waltherus ad h. l. disputat cum iis quae dixit ad Ann. 15, 5 ubi Ernestio obtemperare noluit. neque *transit* puto formam esse contractam pro *transiit*. — *transire* autem idem est quod *transigere*, qua de significatione cfr. Cortius ad Sall. Catil. init. *ne vitam silentio transeant veluti pecora*.

5. *quibus inertia pro sapientia fuit*] Savilius comparavit Hist. 1, 49 *claritas natalium et metus temporum obtentui ut quod segnitia erat sapientia vocaretur*.

5. *praeturae tenor*] A, Puteolanus, Alciatus *praeturae certior;* etiam cod. B, sed ita ut verba quae sequuntur *et silentium nec en. iur. obv.* cancellis sint inclusa. Rhenanus tacite quidem sed ingeniose emendavit. Rothius de synon. p. 28 ἓν διὰ δυοῖν esse monet atque explicat sive continuum silentium sive tenorem silentem.

tenor et silentium; nec enim iurisdictio obvenerat. ludos et inania honoris medio rationis atque abundantiae duxit, uti longe a luxuria, ita famae propior. tum electus a Galba

1. *nec enim*] Walchius affirmat in editionibus Puteolani et Beroaldi impressum esse *nec non.* ex Put. prima et altera nihil annotatum invenio; in Veneta autem quam ipse possideo est *nec. n.*, quod est compendium particulae *enim;* v. Heusing. emendat. p. 31. in utroque codice vulgatam legi colligo ex Maggiorani et Clementis silentio.

1. *iurisdictio obvenerat*] non fuit praetor urbanus aut peregrinus sed ex numero eorum, quibus quaestio haud negotiosa tradebatur. v. Lipsii excurs. ad Ann. 1, 14 et Ernesti clav. Cicer. s. v. *iurisdictio.*

1. *ludos et inania honoris*] noli cogitare de ludis honorariis sed de ludis a praetoribus edi solitis. sic Plinius praetor ludos edidit quibus Minucii Fusci filius praesedit. v. Plinii epist. 7, 11, 4. Galba praetor ludos Florales; v. Sueton. Galb. 6. neque copula *et* vim habet explicandi, sed significat *et omnino*, quemadmodum Rothius recte interpretatus est. nam *inania honoris* non solum ludos complectuntur sed etiam alia multa. de constructione, cuius exempla iam Rhenanus collegit in thesauro locutionum p. 16 edit. Basil., cfr. Zumpt. gr. lat. § 435.

2. *medio rationis*] sic A; *medio luxuriae atque ab.* B, fortasse quia scriptoris oculi in versum sequentem aberrarunt; *modo rationis atque ab.* Puteolanus et qui eum sequuntur. Lipsio subiit legere *moderationis suae atque* vel *moderationi satisque abundantiae.* ego locum intactum reliqui; sensus haud obscurus sed quid Tacitus scripserit nondum constare mihi videtur. quae olim de hoc loco disputavi et quae ab aliis disputata sunt, nolo repetere. nunc mihi probatur Peerlkampii emendatio in quam etiam Rothius incidit. ille enim Tacitum scripsisse suspicatur *media rationis atque abundantiae*, quam coniecturam ipsi Horatius suggessit. hic carm. 2, 19, 27 et 28 *sed idem pacis eras mediusque belli.* Liv. 28, 6 *duas arces urbs habet, unam imminentem mari, altera urbis media est*, ubi v. Gronovius, nam etiam ibi legebatur *medio.* de Horatii loco adi Dillenburgeri quaestiones Horat. p. 73 qui rectius quam Orellius Horatii verba explicavit. igitur hac emendatione recepta omnes nodi expediuntur. Agricola iudicabat (interprete Peerlkampio) ludos et inania honoris esse debere media inter rationem et abundantiam. nam *ducere*, quidquid obloquitur Walchius, significat *putare*, *credere*, *iudicare.* v. Boetticheri lex. p. 307. cum Peerlkampio consentit fere Beckerus et qui hunc secutus est Bachius.

3. *longe*] supplendum est adiectivum vel participium; v. supra c. 5 *licenter.* ceterum haec verba *uti — propior* ad ludos et inania

ad dona templorum recognoscenda diligentissima conquisitione fecit, ne cuius alterius sacrilegium res publica quam Neronis sensisset.

7 Sequens annus gravi vulnere animum domumque eius afflixit. nam classis Othoniana licenter vaga dum Intemelios (Liguriae pars est) hostiliter populatur, matrem

honoris spectare puto; quae contra monuit Waltherus non intelligo.

1. *ad dona templorum*] in edit. P. 2 et Veneta errore typothetae est *temporum*, quod transiit etiam in edit. Alciati. errorem correxit aut Rivius aut Rhenanus aut uterque; nam Rhenanus Alciati textum ante oculos habuit. de re v. Ann. 15, 45 *inque eam praedam etiam di cessere, spoliatis in urbe templis egestoque auro quod triumphis, quod votis omnis populi Romani aetas prospere aut in metu sacraverat. enimvero per Asiam atque Achaiam non dona tantum sed simulacra numinum abripiebantur* ubi v. Lipsium. Suet. Ner. 22 *templis compluribus dona detraxit simulacraque ex auro vel argento fabricata conflavit, in his penatium deorum, quae mox Galba restituit.* Dio 63, 11 καὶ τὰ ἀναθήματα ὅσα καὶ ἐξ αὐτῶν τῶν ἐν τῇ Ῥώμῃ ναῶν (ὁ Νέρων) ἐσύλησεν οὐδ' ἐξαριθμήσειεν ἄν τις.

3. *sensisset*] omnes fere perperam vertunt *empfand;* dicendum erat *würde empfunden, gefühlt haben.* quamquam partim non intelligo partim non vera esse credo quae Hertelius et Waltherus de vi plusquamperfecti dixerunt. *sentire* autem ut passim dictum est de re mala. v. interpr. ad Horat. carm. 2, 7, 10.

4. *sequens annus*] u. c. 822.

5. *classis Othoniana*] de qua v. Hist. 1, 87. 2, 14 sq.

5. *dum Intemelios (Liguriae pars est)*] *dum in templo* A, B, Puteol. Alc. Rhen. alii; *dum intemelium, Liguriae urbs est* Fulvius Ursinus e suo codice protulit. Surita in emendationibus ad Antonini itinerarium (ed. Wesseling. p. 296) et Savilius corrigebant *Intemelio;* Pithoeus et Barclaius *Intemelium;* optime vero emendavit Lipsius *Intemelios.* Hist. 2, 13 *irritatus eo proelio Othonis miles vertit iras in municipium Albium Intemelium.* Strabo 4, 6, 1 πόλις εὐμεγέθης Ἄλβιον Ἰντεμέλιον καὶ οἱ κατοικοῦντες Ἰντεμέλιοι. Ceterum verba *Liguriae pars est* nonnulli putant a glossatore profecta esse; ego non item. talia vel optimi scriptores interdum addunt. ita male vituperantur verba c. 22 *aestuario nomen est.* Histor. 3, 50 legitur *clavarium (donativi nomen est) flagitantium*, ubi Ernestius atque Oberlinus Castalionem secuti verba quae cancellis sunt inclusa omiserunt. sed saepius quam vulgo creditur eiusmodi interpretamenta in Taciti libris leguntur. v. Ann. 11, 13.

Agricolae in praediis suis interfecit praediaque ipsa et magnam patrimonii partem diripuit, quae causa caedis fuerat. igitur ad solemnia pietatis profectus Agricola nuntio affectati a Vespasiano imperii deprehensus ac statim in partes transgressus est. initia principatus ac statum urbis Mucianus regebat, iuvene admodum Domitiano et ex paterna fortuna tantum licentiam usurpante. is missum ad delectus agendos Agricolam integreque ac strenue versatum vicesi-

30. 14, 22. Hist. 2, 4. 24. 3, 15. 21. 24. 45. 47. 4, 15.

3. *ad solemnia pietatis profectus*] i. ad exsequias celebrandas. *funeris solemne* vel *funerum solemnia* leguntur Ann. 3, 2. 76. 12, 69. 15, 64. *solemnia regni capessere* 6, 42. *solemnia nuptiarum* 11, 26. 12, 5.

3. *nuntio affectati a Vesp. imperii*] respicit ad nuntium de imperio ad Vespasianum ferendo; v. Hist. 2, 79. — Put. hoc loco et semper *Vespesiano.*

4. *deprehensus ac — transgressus est*] B *deprehensus est ac — transgressus.* Bipontinus frustra coniecit *reprehensus* i. e. retractus, revocatus. sed quamquam deprehendi dicitur de re subita, hoc tamen loco *deprehensus* non significat *überrascht*, sed *erreicht*, *ereilt.*

6. *Mucianus*] de cuius potentia Hist. 4, 11 *Mucianus urbem ingressus cuncta simul in se traxit.* ibid. 39 *Caesar Domitianus praeturam cepit; eius nomen epistolis edictisque praeponebatur, vis penes Mucianum erat.* Dio Cassius 66, 2 *ὁ Μουκιανὸς τὰ τοῦ κράτους πάντα μετὰ τοῦ Δομιτιανοῦ διῴκει.*

6. *iuvene admodum Domitiano*] hunc verborum ordinem Broterius enotaverat ex cod. A, sed Maggioranius siluit; contra in altero codice Clemens ita scriptum invenit. editiones veteres inverso ordine habent *admodum iuvene.* Broterii auctoritatem nuper secuti sunt Beckerus, Peerlkamp, alii. utroque modo Tacitus loquitur. infra c. 14 *paucis admodum castellis.* Ann. 1, 9 *pauca admodum vi tractata.* Hist. 2, 78. 4, 5. Dialog. 1, 2. *iuvenis admodum.* ante suum vocabulum ponitur particula Ann. 1, 3. 4, 13. 44. de significatione formulae *admodum adolescens* v. Handii Tursell. 1, 171.

7. *tantum licentiam usurpante*] Hist. 4, 2 *nomen sedemque Domitianus acceperat; nondum ad curas intentus, sed stupris et adulteriis filium principis agebat.*

7. *is*] i. Mucianus.

8. *integreque ac strenue versatum*] non omnes delectum ita agebant. sic Pedius Blaesus motus est senatu, *accusantibus Cyrenensibus, violatum ab eo thesaurum Aesculapii delectumque militarem pretio et ambitione corruptum.* Ann. 14, 18.

8. *vicesimae legioni*] vicesima legio valens victrix erat e tribus Bri-

mae legioni tarde ad sacramentum transgressae praeposuit, ubi decessor seditiose agere narrabatur, quippe legatis quoque consularibus nimia ac formidolosa erat, nec legatus praetorius ad cohibendum potens, incertum suo an militum ingenio. ita successor simul et ultor electus rarissima mo-
8 deratione maluit videri invenisse bonos quam fecisse. praeerat tunc Britanniae Vettius Bolanus, placidius quam feroci

tannicis (tot enim plerumque erant in hac terra) et inter Cornavios commorabatur Devae (*ἐν Δηούᾳ* Ptol., nunc *Chester*). v. Camdeni Britannia edit. 1806. vol. 3. p. 41. nomina legionum recenset Lipsius ad Hist. 2, 43.

1. *tarde — transgressae*] non sine motu. Histor. 3, 44 *et Britanniam inclitus erga Vespasianum favor, quod illic secundae legioni a Claudio praepositus et bello clarus egerat, non sine motu adiunxit ceterarum.*

2. *decessor*] is fuit Roscius Caelius. Hist. 1, 60 *praeerat* (Britanniae) *Trebellius Maximus per avaritiam ac sordes contemptus exercitui invisusque. accendebat odium eius Roscius Caelius legatus vicesimae legionis, olim discors, sed occasione civilium armorum atrocius proruperat. Trebellius seditionem et confusum ordinem disciplinae Caelio, spoliatas et inopes legiones Caelius Trebellio obiectabat.*

2. *legatis quoque consularibus*] hi, etiam legati Caesaris, legati Caesaris pro consule, nonnunquam etiam praesides appellati, ab imperatoribus mittebantur in ipsorum provincias et proconsulis vices gerebant, ex quo ipsi Caesares administrabant maiores provincias.

3. *nimia ac formidolosa*] *nimia* est iusto potentior. Ann. 2, 34 *ceterum Urgulaniae potentia adeo nimia civitati erat.* Hist. 3, 52 *quippe nimius iam Antonius.* Vellei. Paterc. 2, 32 *nimium iam liberae rei publicae*, ad quem locum v. Ruhnkenium. De voc. *formidolosus* v. ad Ann. 1, 76.

3. *legatus praetorius*] legati praetorii, plerumque praetoris munere functi, legionibus praeerant et inde legati legionum nominabantur. vide interpretes ad Sueton. Tiber. 19.

5. *ultor*] A *ulctor.*

7. *Vettius*] ita B; *Vectius* A et praeter Puteolanum, qui scripsit *Voctius*, omnes reliquae editiones ante Broterium et Ernestium, qui nostrum dederunt.

7. *Bolanus*] sic B ni fallor; A et veteres editiones *Volanus.* de Vettio Bolano v. Broter. ad Ann. 15, 3, Ern. et Oberl. ad Hist. 2, 65.

7. *placidius*] placidius est non tam alacris arrectusque et intentus ad bellandum, quam oportebat esse ducem, ubi quotidie hostis ante oculos exsultabat et lacessebat. ab

provincia dignum est. temperavit Agricola vim suam ardoremque compescuit, ne incresceret, peritus obsequi eruditusque utilia honestis miscere. brevi deinde Britannia consularem Petilium Cerialem accepit. habuerunt virtutes spatium exem-

hoc torpore longissime remotus Agricola ardebat ille quidem cupidine rei gerendae, non tamen eam sic praetulit, ut legatum consularem offenderet et vel audendo vel censendo fortia et ferocia segnitiem ei suam exprobraret. GRONOV. adde quae c. 16 extremo narrantur.

1. *provincia*] Put. 2, Ven. Alc. *provinciae*, quem typographi errorem Rhenanus tacite correxit.

1. *dignum est*] Acidalius voluit *esset*, quod Rivius scripserat quodque Walchio non displicuit; Ernestius maluit *erat;* Heinsius omittendum esse censuit *est*. emendatione non opus; sententia his verbis cuique conditioni communis continetur. non de Britannia, sed de quacunque alia feroci provincia intelligendum est.

2. *ne incresceret*] haec redundare putavit Ernestius; sed bene monuit Broterius in iis esse acumen; Agricolam enim, quippe peritum obsequendi, ardorem compescuisse, ne ipse incresceret neve Bolano melior videretur. de significatione v. *increscendi* v. Waltherum.

2. *eruditusque*] studio philosophiae praeceptisque Stoicorum; v. Cic. de offic. 3, 2, 7.

3. *Petilium Cerialem*] Put. 1, 2 et Ven. *Peretilium*. — *Cerealem* P. 1, 2, Ven. Alc. — Antea Cerialis fuerat legatus legionis nonae, Ann. 14, 32; bello Germanico dux eligitur, Hist. 4, 68; Vespasianum, cuius in affinitatem pervenerat, in obtinendo imperio adiuvit, Dio Cass. 65, 18; quae in Britannia gessit, narrantur c. 17.

4. *habuerunt virtutes spatium exemplorum*] haec Ernestius de ipsius Agricolae virtutibus capienda esse monuit, quae sub bono consulari campum nactae sint, in quem excurrerent et exempla ederent obsequii, verecundiae, fortitudinis. et ita iam Salinerius de hoc loco iudicavit contra Lipsium et Pichenam. similis locus est Ann. 13, 8 *videbaturque locus virtutibus patefactus*. — Lipsius in editione a. 1585 locum ita emendare et explicare conatus erat: ,,*habuerunt virtutes spatium exemplumque. Se primo Cerialis*, *modo labores* cet. Sub Ceriali duce, inquit, campus ad virtutem apertus Agricolae, imo et exemplum. Nam ipse strenuus et huic volens primum se consiliaque cum Agricola divisit; mox labores: denique et gloriam.“ Excidit haec annotatio in editionibus posterioribus, ut in editione a. 1607, ubi Lipsius alia dedit. — De numero plurali v. *exemplum* v. Ritterum; Rothius laudavit Cic. Philipp. 14, 3, 8 *optimos viros honestissimosque homines — crudelissimis exemplis interemit Antonius* i. Ma-

Paulino diligenti ac moderato duci approbavit, electus quem contubernio aestimaret. nec Agricola licenter more iuvenum, qui militiam in lasciviam vertunt, neque segniter ad voluptates et commeatus titulum tribunatus et inscitiam rettulit; sed noscere provinciam, nosci exercitui, discere a

1. *Paulino*] sic editiones veteres; de scriptura codicum nihil constat; omnes fere recentiores *Paullino*.

1. *diligenti — duci*] Histor. 2, 25 (Suetonius Paulinus) *cunctator natura et cui cauta potius consilia cum ratione quam prospera ex casu placerent.* 2, 31 S. P. *dignum fama sua ratus, qua nemo illa tempestate militaris rei callidior habebatur.*

1. *approbavit*] i. fecit ut ei probarentur. c. 42 *operam suam in approbanda excusatione offerre.* Ann. 15, 59 *dum ipse maioribus, dum posteris mortem approbaret.* sic etiam Quintil. 1, 4, 20 *quae mihi non approbantur.* 7, 3, 25 *in approbando refellendoque fine.* alii scriptores hoc sensu dixerunt *probare.* Plin. Epist. 10, 20, 3 *quum omnia facta dictaque mea probare sanctissimis moribus tuis cupiam.*

1. *quem contubernio aestimaret*] postquam Agricola prima castrorum rudimenta duci probavit, ab illo electus et dignus contubernio habitus est. itaque *aestimare* significat *magni aestimare* sive *magni facere*, et *contubernio* est ablativus pretii. Iuvenes optimae spei a ducibus in contubernium assumebantur. ita Caesar *stipendia prima in Asia fecit M. Thermi praetoris contubernio.* Sueton. Iul. Caes. 2. vid. Ernest. clav. Cic. s. v. *contubernalis.*

2. *licenter — segniter*] i. agens; v. Roth. p. 217. *licenter* spectat ad voluptates, *segniter* ad commeatus.

3. *neque segniter*] B *nec segniter.*

4. *commeatus*] iam Rhenanus in castigationibus recte interpretatus est, „ut posset abesse et vagari.“ exempla dederunt I. Fr. Gronovius ad h. l. et Broterius ad Hist. 1, 46.

4. *titulum tribunatus et inscitiam rettulit*] optime interpretatus est Rigler. *inscitia* coniungenda est cum voc. *tribunatus* atque explicanda, *nomen tribunatus cum inscitia iunctum.* quod vero *referre ad gloriam, laudem, virtutem*, idem valet hoc loco *rettulit ad voluptates et commeatus.* nam *referre* translate significat *etwas in Beziehung bringen zu etwas*, *etwas im Auge haben*, *beabsichtigen bei etwas*, cet. sic ut unum ex multis exemplis adhibeam Plin. Epist. 1, 22, 5 *ornat haec magnitudo animi, quae nihil ad ostentationem, omnia ad conscientiam refert.* itaque sensus est: titulum tribunatus et inscitiam officiorum quae cum hoc munere coniuncta erant non praetexuit ut voluptatibus indulgeret aut commeatus sumeret.

peritis, sequi optimos, nihil appetere in iactationem, nihil ob formidinem recusare simulque et anxius et intentus agere. non sane alias exercitatior magisque in ambiguo Britannia fuit. trucidati veterani, incensae coloniae, intercepti exercitus; tum de salute, mox de victoria certavere. quae

1. *sequi*] P. 2 *equi*, initio paginae; idem error in Veneta, sed medio versu.

1. *in iactationem*] sic uterque Vaticanus, cod. Ursini, P. 1 et 2; praepositio primum excidit ex edit. Veneta, tum omissa est a Beroaldo, Alciato, Rhenano. hic in castigationibus correxit *iactatione* (non *ob iactationem*, quod nescio a quo est profectum), receptum in Francof. et Colon., quarum in margine notatur *iactationem*, tum ab aliis. c. 8 *nec Agricola umquam in suam famam gestis exsultavit*. c. 18 *nec Agricola prosperitate rerum in vanitatem usus*. c. 24 *in spem magis quam ob formidinem*. Ann. 11, 6 *famam in posteros praemia eloquentiae cogitare*. de hoc conciso dicendi genere, quod inde a Livii tempore in usum venit, ut sententiae finales uno nomine et praefixa praepositione comprehenderentur, consule Handii Tursell. 3, 316.

2. *simulque et anxius*] ita primum Broterius ex A, quocum consentit B; Puteolanus omisit *et* eumque sequuti sunt et veteres et recentiorum nonnulli. Walchii errorem iam alii refellerunt.

3. *alias exercitatior*] Acidalius corrigebat *exercitior*; sane *exercitus* hoc sensu est legitimum verbum, quamquam et *exercitatus* prope simili sensu interdum dicitur. Horat. epod. 9, 31 *exercitatae Syrtes Noto* (ad quem l. v. Lambinum). Cic. ep. 4, 5 *in illis rebus* (malis) *exercitatus animus*. ERN. Cic. som. Scip. 9 *hanc tu exerce in optimis rebus*; *sunt autem optimae curae de salute patriae, quibus agitatus et exercitatus animus velocius in hanc sedem et domum suam pervolabit*.

3. *in ambiguo fuit*] i. e. ambigua fuit sive de eius possessione ambigebatur. v. Roth. p. 221 et meam annot. ad Dial. 16, 8.

4. *incensae coloniae*] Lipsius magis ex rei fide, v. Ann. 14, 31 et Agr. 16, scribendum censet *incensa colonia*. sed non solum *Camulodunum* verum etiam *Londinium* captum et direptum eademque clades municipio *Verulamio* fuit. Ann. 14, 33. itaque Tacitus simul de his oppidis cogitasse videtur, quamquam non erant coloniae cognomento insignia. Rothius tamen p. 111 in numero plurali et huius et sequentis nominis amplificationem agnoscit.

4. *intercepti exercitus*] uterque Vaticanus, Freinshemius, Heinsius, Broterius, Seebodius *intersepti*. utrumque recte dici potest; illud praetuli, quod legio nona fusa est. Ann. 14, 32. de verbo *intercipiendi* v. Oudendorp. ad Suet. Claud. 1. Drakenb. ad Liv. 3, 30, 8 et Roth. ad h. l.

5. *tum de salute*, *mox de victo-*

plorum. sed primo Cerialis modo labores et discrimina, mox et gloriam communicabat; saepe parti exercitus in experimentum, aliquando maioribus copiis ex eventu praefecit. nec Agricola umquam in suam famam gestis exsultavit; ad auctorem et ducem ut minister fortunam referebat. ita virtute in obsequendo, verecundia in praedicando extra invidiam nec extra gloriam erat.

9 Revertentem ab legatione legionis divus Vespasianus inter

nutio interprete iis tormentis excruciatos, quae exemplo esse possint. Terent. Eun. 5, 6, 21 *uterque exempla in te edent.* Caes. b. g. 1, 31 *in eos omnia exempla cruciatusque edere.*

1. *modo labores*] A Broterio et Maggioranio testibus *labores modo*, receptum a Broterio, Beckero, Hertelio, Walchio in editione minore, Rothio, Bachio. sed utramque sedem particula occupat. ante vocabulum ponitur Ann. 1, 60 *conciti per haec non modo Cherusci, sed conterminae gentes.* 4, 1 *eiusque caussa modo largitio et luxus, saepius industria ac vigilantia.* Hist. 1, 4 *ut non modo casus eventusque rerum.* post vocabulum ponitur Ann. 1, 71 *armis modo et equis ad bellum sumptis.* 2, 14 *non campos modo militi Romano ad proelium bonos.* itaque neutrum alteri praestat iudice Handio in Tursell. 3, 651.

2. *communicabat*] iam Oberlinus in indice notaverat usum v. *communicandi*, quod hoc uno loco absolute dictum videtur. propter brevitatem omissus est ablativus a Caesare b. g. 6, 13. Walchius comparavit verba μεταδιδόναι et κοινωνεῖν e Thucyd. 1, 39.

3. *ex eventu*] i. secundum eventum, quum eventus id suasisset, interprete Handio in Turs. 2, 659. similiter Germ. 7 *duces ex virtute sumunt.*

4. *in suam famam gestis exsultavit*] i. Agricola numquam, ut famam suam augeret, gestis exsultavit; v. ad c. 5 et Walch. ad h. l.

5. *et ducem*] A teste Broterio *ac ducem;* Maggiorani silet. Beckero codicis lectio ob κακοφωνίαν minus placuit; rectius monuit Kaemmerer in dissertatione p. 10 his verbis eam figuram effici quam ἓν διὰ δυοῖν vocant.

7. *nec extra gloriam erat*] i. nec tamen. v. quos plena manu excitavit Passovius ad Germ. 45. sensus autem est: et invidiam effugiebat et gloriam assequebatur. de formulis quae conficiuntur praepositione *extra* v. Handii Turs. 2, 677.

8. *inter patricios adscivit*] de hoc imperatorum more v. Ann. 11, 25 et Gesner. ad Plin. paneg. 9, 2. — Veteres editiones habent *ascivit*, quam formam nonnulli recentiorum editorum praeferunt. de codicum scriptura nihil constat; de

patricios adscivit ac deinde provinciae Aquitaniae praeposuit, splendidae imprimis dignitatis administratione ac spe consulatus, cui destinarat. credunt plerique militaribus ingeniis subtilitatem deesse, quia castrensis iurisdictio secura et obtusior ac plura manu agens calliditatem fori non exerceat. Agricola naturali prudentia quamvis inter togatos facile iusteque agebat. iam vero tempora curarum remis-

praeceptis grammaticorum v. Car. Leop. Schneideri gr. lat. 2, 529.

1. *Aquitaniae*] P. 1 *Aquitanniae.*

1. *praeposuit*] fortasse a. u. 828. nam a 830 coss. imp. Vespasiano VIII, Tito VI consules suffecti traduntur fuisse Domitianus Caesar VI et Cn. Iulius Agricola. v. fastos consulares et Zumptii annales.

2. *splendidae dignitatis*] haec etiamnunc coniungenda esse censeo cum v. *provinciae* et cum Ernestio explico: ea provincia magnam dignitatem afferebat, et propter administrationem i. e. magnitudinem rerum ibi gerendarum, et propter spem consulatus, quae cum hoc munere coniuncta erat. aliter Rothius locum explicavit p. 143.

3. *cui destinarat*] i. provinciam; cui haec provincia destinata erat, ei simul spes consulatus offerebatur.

3. *militaribus ingeniis subtilitatem deesse*] Peerlkamp laudavit Quintil. declam. 310 *contemnunt hominem militarem nihil minus quam litibus idoneum.*

4. *deesse*] B *adesse*, fortasse pro *abesse;* sed ne hoc quidem ferri potest, quum deesse et abesse inter se differant.

4. *iurisdictio*] P. 1 *iuridictio;* P. 2 *iurisdicio;* Ven. *iurisditio.*

4. *secura*] est minus anxia, sollicita, μικρολογοῦσα, in apicibus nodisque et aenigmatibus commenticii iuris. Gronov. paucis et perspicuis legibus utitur, fori ambagibus minime intricata. Brot. de significatione adiectivi *obtusior* v. Rothium.

6. *quamvis inter togatos*] Grotius *sagatos* vel *non inter togatos* legendum censet. Taciti mens est, Agricolam, etsi militarem virum et calliditati fori non adsuetum, tamen naturali solertia consecutum esse, ut iurisdictionem in conventibus per provinciam pacatam habendis bene exerceret. Ern. Frequens toga etiam in provinciis, ut patet ex c. 21 et ex Hist. 2, 20. caussidici autem et patroni dicuntur togati in Dial. 6. Brot.

7. *facile*] dictum est exquisite, ut apud Cic. de offic. 2, 19 *facile laborare* cet. nempe ei iurisdictio nullam molestiam afferebat; facile se expediebat e caussarum tricis cet. Ern.

7. *tempora curarum*] B *temporis et curarum,* quod nullum habet sensum. de numero plurali v. *remissiones* v. Roth. p. 111 sq. ver-

sionumque divisa. ubi conventus ac iudicia poscerent, gravis, intentus, severus, et saepius misericors: ubi officio satisfactum, nulla ultra potestatis persona; tristitiam et

bum *divisa* recte interpretatus est Hertelius: diversa inter se erant tempora curarum et remissionum; Agricola alius erat, quum negotia obiret, alius quum animum remitteret. Virg. Georg. 2, 116 *divisae arboribus patriae.*

1. *conventus*] i. e. iuridici, in quibus ius dicebatur. sic teste Plinio 3, 1 in Baetica erant *iuridici conventus quattuor*, *Gaditanus*, *Cordubensis*, *Astigitanus*, *Hispalensis.* Brot. v. Ern. clav. Cicer. et interpretes ad Caesarem.

3. *nulla ultra pot. persona*] uterque codex Vaticanus, P. 1, 2, Ven. Alc. *nullam* — *personam*, quod Rhenanus in castigationibus emendavit et duplici quidem modo. „Coniicio scribendum," inquit, „*ubi officio sat. nulla ultra pot. personam tristitia. Et arrogantiam;* nisi quis malit *ultra* adverbialiter accipere pro *ulterius*, *nulla ultra pot. persona. Tristitiam*" cet. Atque haec altera emendatio usque ad nostra tempora edebatur. Primus codicum et editionum veterum lectionem Doederleinius defendebat in notis ad versionem p. 52; tum eam receperunt Beckerus, Peerlkamp, Rothius, Bachius. sed ego zeugma in his verbis agnoscere non possum, quamvis verbum *induendi* sit aptissimum ad primariam vocis personae significationem; verba enim quae sequuntur *tristitiam* — *exuerat* novam continent sententiam neque cum praecedentibus ita coniuncta sunt, ut de zeugmate cogitare possimus. Peerlkamp aliter accusativum explicare conatus est; illud autem dicendi genus, de quo cfr. Zumpt. gr. l. § 770, in narratione sive descriptione locum habere non potest. Walchius attulit c. 32 *nec quidquam ultra formidinis.* Hist. 1, 56 *nec cuiquam ultra fides aut memoria prioris sacramenti.* addi possunt quamquam non prorsus similia e cap. 30 *nullae ultra terrae* et *nulla iam ultra gens.*

3. *tristitiam et arr. et avar. exuerat*] haec verba iam Tanaq. Faber deleri voluit epist. 2, 18 et nuper etiam Peerlkamp pro glossemate habuit. sed *exuere*, quamquam oppositum est verbo *induendi* tamen, quum translate dicitur, etiam significat nos omnino liberos esse ab aliqua re. Waltherus recte laudavit Ann. 6, 25 *sed Agrippina aequi impatiens, dominandi avida, virilibus curis feminarum vitia exuerat.* Hist. 2, 86 *Cornelius Fuscus* — *prima iuventa quietis cupidine senatorium ordinem exuerat.* ceterum haec significatio non sita est in plusquamperfecto, ut Rothius interpretatur, sed in ipso verbo et fortasse ex graeco fonte manavit. sic Demosth. adv. Leptin. § 1 φήσει δ' ἀναξίους τινὰς ἀνθρώπους εὑρομένους ἀτέλειαν ἐκδεδυκέναι τὰς λειτουργίας. et in Plat. Cratylo 426

arrogantiam et avaritiam exuerat; nec illi, quod est rarissimum, aut facilitas auctoritatem aut severitas amorem deminuit. integritatem atque abstinentiam in tanto viro referre iniuria virtutum fuerit. ne famam quidem, cui saepe etiam boni indulgent, ostentanda virtute aut per artem quaesivit; procul ab aemulatione adversus collegas,

A ἐκδύσεις sunt effugia. Agricola igitur ab istis vitiis — sunt enim vitia — liber fuisse dicitur. *avaritiam et arrogantiam praecipua validiorum vitia* nominat Tacitus Hist. 1, 51. *tristitia* autem oritur ex gravitate et non solum nimiam morum austeritatem sive asperitatem, sed etiam acerbitatem in iudicando significat; v. Ern. ad Sueton. Ner. 23.

2. *facilitas*] B *facultas;* cfr. Spalding ad Quintil. 10, 5, 1. Rothius laudavit Cic. Phil. 9, 5, 11 *ita ea, quae proficiscebantur a legibus et ab iure civili, semper ad facilitatem aequitatemque referebat.*

3. *deminuit*] editiones veteres usque ad Lipsium *diminuit;* illud etiam in codicibus scriptum videtur. cfr. Oudendorp. ad Sueton. Caes. 5.

3. *integritatem — fuerit*] neque enim tam laudandus est, qui integritate praeditus sit, quam vituperandus, qui non est. *integritas* et *abstinentia* est vitii absentia necdum ut virtus laudanda. hinc fortasse intelligas et defendas vulgatam lectionem apud Vellei. 2, 45, 5 de Catone, *cuius integritatem laudari nefas est.* Bipont. Ritterus haec verba cancellis inclusit.

4. *cui saepe etiam boni*] sic A; non vera fuerunt quae olim ex hoc codice attuli. itaque corrigendum est quod Beckerus, Hertelius, Rothius alii receperunt. alter codex consentire videtur cum libris editis, qui habent *cui etiam saepe boni.* — De re v. Hist. 4, 6 *quando etiam sapientibus cupido gloriae novissima exuitur.*

5. *ostentanda virtute*] in cod. A *ostendendam virtutem* legi perhibet Broterius; at Maggiorani nihil varietatis ad vulgatam enotavit. contra in altero codice Clemens legit *ostentandam virtute* quod accedit ad scripturam editionum principum; nam in P. 1 est *ostendandam virtute;* in P. 2, Ven. Alc. Rhen. errore typographi correcto *ostentandam virtute*, quod ego male revocaveram. Rhenanus in castigationibus proposuit *ostentanda* et ita omnes deinceps ediderunt excepto Seebodio qui Bosium secutus scripsit *ostentando virtutem.* — *ostentanda virtute aut per artem* est hyperbaton ut Germ. 4 *temeritate aut per ignaviam;* v. Bredov. ad Germ. 15 et Passov. ad c. 32.

6. *adversus collegas*] magistratus provincialis proprie collegas non habet. ergo improprie collegas Agricolae vocat praepositos reliquarum provinciarum Gallicarum. quia

procul a contentione adversus procuratores et vincere inglorium et atteri sordidum arbitrabatur. minus triennium in ea legatione detentus ac statim ad spem consulatus revocatus est, comitante opinione Britanniam ei provinciam dari, nullis in hoc suis sermonibus, sed quia par videbatur. haud semper errat fama, aliquando et elegit. con-

parti quisque Galliae praeerant, quodam modo collegae poterant dici. porro unus tantum in ista provincia procurator, ut in aliis. v. ad Hist. 4, 50. itaque aut per triennium illud plures procuratores habuit aut pluralis pro singulari positus. potest etiam universe accipi: contentionem adversus procuratores, qua sc. plerumque praepositi provinciarum utantur, ab eo abfuisse. Ern. Hist. 1, 10 (Mucianus Syriae praefectus) *apud subiectos, apud proximos, apud collegas variis illecebris potens.*

1. *procul a c. a. procuratores*] exemplum talis contentionis est Ann. 14, 38; cfr. etiam infra c. 15 et Roth. ad n. l.

2. *atteri*] non est vinci, sed cum vi leniore dictum de laedendo etiam in minimis rebus. Virdungus comparavit Senecae verba, *contendere cum inferiore sordidum.*

2. *minus triennium*] triennium Maecenas proposuit Octaviano; v. Dion. 52, 23 *καὶ ἀρχέτωσαν μήτε ἔλαττον ἐτῶν τριῶν, εἰ μή τις ἀδικήσειέ τι, μήτε πλεῖον πέντε.*

4. *comitante opinione*] facile tolero et recte dictum credo. Plinius quidem in H. N. passim hoc verbo in hunc fere modum utitur, 37, 1 *comitante fabula vanitatem eius;* 9, 35 (58) *comitatur fama* i. e. adiuncta est, fertur insuper cet. sed aliquando suspicatus sum Tacitum dedisse *constante opinione.* Sueton. Tiber. 39 *secessum Campaniae petit, constanti opinione et sermone paene omnium, quasi neque rediturus umquam* cet. *constans rumor* est etiam infra c. 43. Ern.

5. *dari*] infinitivus praesentis positus est pro infinitivo futuri; exempla collegit Boetticher in lex. Tac. p. 261. quae Bachius ad Hist. 1, 22 comparavit, diversi sunt generis.

5. *nullis in hoc suis sermonibus*] est ablativus absolutus, ut c. 10 *nullis contra terris*, ad quem locum v. Walch. c. 16 *nullis castrorum experimentis.* verte: *ohne dass Aeusserungen von ihm darauf hindeuteten.* de formula *in hoc* cfr. Handii Tursell. 3, 320.

6. *haud s. errat f.*] B *aut semper erat fama.*

6. *elegit*] ita codices Vaticani et editiones tum veteres tum recentiorum longe plurimae. Rhenanus scripsit *eligit* a nonnullis editoribus receptum; idem alteram emendationem in castigationibus proposuit *ferit*, ut sit translatio a sagittariis. *elegit* est aoristus Graecorum hodie satis notus ex libris grammaticis, non verum perfectum; nam *ali-*

sul egregiae tum spei filiam iuveni mihi despondit ac post consulatum collocavit, et statim Britanniae praepositus est adiecto pontificatus sacerdotio.

Britanniae situm populosque multis scriptoribus memo- 10
ratos non in comparationem curae ingeniive referam, sed quia tum primum perdomita est. itaque quae priores nondum comperta eloquentia percoluere, rerum fide tradentur. Britannia insularum, quas Romana notitia complectitur, maxi-

quando significat *nonnunquam*, *interdum*. c. 17 *multa proelia et aliquando non incruenta*. Peerlkamp glossam haec verba *(haut — elegit)* esse iudicat.

1. *egregiae tum spei*] A *graeciae* pro *egregiae* et in margine ,,al. *gratae*.“ atque hoc scriptum est in B. Acidalius in his verbis haeret; Heinsius particulam *tum* abundare credit atque emendat *egregia aetate ac specie filiam* s. *egregiam aetate tum specie*. sed frustra; haec de iuventute intelligenda sunt, in qua spem filia eximiam excitabat, ut sperari posset, eam fore optimam et coniugem et matrem familiae. de hac iuventutis laude v. Manut. ad Cic. epist. 1, 7.

2. *collocavit*] Ven. Alc. *collavit* ex errore typothetae quem Rhenanus correxit.

5. *in comparationem curae*] non ea de caussa, ut cum superioribus scriptoribus comparer laudemque maioris diligentiae et eloquentiae feram. Ern. *Cura* (per metonymiam) de quovis scripto. a poetis ad alios, praecipue post Augustum, transiit. Ann. 4, 11 *quorum in manus cura nostra venerit*. v. Gronov. et Fabric. ad Ovid. Pont. 2, 4, 15. Burm. ad Phaedri epilogum l. 2 v. 10. Peerlk.

6. *perdomita est*] i. e. tota domita s. devicta est. nonnunquam vis praepositionis *per* amittitur ut Hist. 1, 2 *perdomita Britannia et statim missa*. Tacitum enim verba cum praepositione *per* composita adamare iam Rhenanus notavit in thesauro locutionum p. 60.

6. *itaque*] in B *ita* omisso *que*.

7. *eloquentia percoluere*] i. exornavere; v. Rothium.

7. *rerum fide*] de hoc ablativo v. Rothii excurs. p. 168.

7. *Britannia*] comparari potest insulae descriptio, quam primus Romanorum dedit b. gall. 5, 13. speciem vero deformem, quae ex his verbis prodit, nemo veteris geographiae peritus hodie mirabitur.

8. *Romana notitia complectitur*] Peerlkamp hoc dictum esse in re tenui et simplici ornatius et grandius iudicat, quam soleant boni scriptores, praecipue brevitatis captans Tacitus. itaque mavult *Romana ditio complectitur*. sed verbum *complectendi* etiam cum aliis substantivis ad rem tenuem et sim-

ma spatio ac coelo in orientem Germaniae, in occidentem Hispaniae obtenditur; Gallis in meridiem etiam inspicitur; septemtrionalia eius nullis contra terris vasto atque aperto mari pulsantur. formam totius Britanniae Livius veterum, Fabius Rusticus recentium eloquentissimi auctores oblongae

plicem significandam coniungitur; Quintiliani exempla suppeditat Bonnelli lexicon.

1. *spatio ac coelo*] sic codices et editiones veteres; Lipsius emendabat interpunctione *maxima spatio, ac coelo*, Heinsius vel *spatioso solo* vel *spatio soli;* Bipontinus coniecit *spatioso intervallo*, quod Engelius recepit. et ita Orosius Hist. 1, 3 *huius* (Hiberniae) *partes — spatioso intervallo procul spectant.* vulgatam lectionem defenderunt Pichena, Is. Vossius ad Melam 2, 2, alii. *spatium* intelligas de magnitudine sive latitudine, *der Ausdehnung nach*, qua de significatione v. Drakenb. ad Sil. Ital. 10, 170. Burm. ad Ovid. Metam. 3, 56 et Gierig. ad eiusd. l. v. 20. *coelum* vero significat quod nos dicimus *Himmelstrich*, *Klima.* ita distinguuntur c. 24 *spatium* et *coelum.* Hist. 5, 7 *foetus segetum et autumni putrescere reor*, *solo coeloque iuxta gravi.*

2. *obtenditur*] i. e. pertinet sive spectat. Germ. 35 *Chaucorum gens — omnium quas exposui gentium lateribus obtenditur.* Mox pro v. *Gallis — inspicitur* Heinsius coniecit *a Galliis in meridiem etiam dispescitur* vel *fretum dispescit* aut *freto dispescitur.* sed vir bonus non adtendit ad particulam *etiam;* sensus est: non solum obtenditur, sed etiam inspicitur. inspicere autem est conspicere; Hist. 2, 6 *auditique saepius in Syria Iudaeaque Caesares quam inspecti.*

3. *nullis contra terris*] Caesar l. s. l. *tertium* (latus) *est contra septemtriones, cui parti nulla est obiecta terra.*

3. *aperto mari*] Heinsius legendum esse censet *inaperto*; pessime. Ann. 2, 23 *mare omne in austrum cessit, qui — rapuit disiecitque naves in aperta oceani.* 4, 67 *aperto circum pelago.* Caes. b. g. 3, 9 *longe aliam esse navigationem in concluso mari atque in vastissimo atque apertissimo oceano perspiciebant.* 3, 12 *summaque erat vasto atque aperto mari difficultas navigandi.*

4. *Livius*] libro 105 deperdito. *Fabius Rusticus* Claudio et Nerone imperatoribus floruit, Senecae amicus, qui etiam res sub Nerone gestas descripsit. Ann. 13, 20. 14, 2. 15, 61. vide quae ad Quint. 10, 1, 104 de eo disseruit Sarpe in quaestionibus philologicis. de discrimine inter *antiquos* et *recentes* auctores v. Walch. p. 119 n. 2.

5. *oblongae scutulae*] scutulam cum Ernestio accipe sensu geometrarum Latinorum, qui ita appellant quae vulgo trapezia vocantur in elementis.

scutulae vel bipenni assimulavere. et est ea facies citra Caledoniam, unde et in universum fama est transgressa; sed immensum et enorme spatium procurrentium extremo iam littore terrarum velut in cuneum tenuatur. hanc oram novissimi maris tunc primum Romana classis circumvecta insulam esse Britanniam affirmavit ac simul incogni-

1. *assimulavere*] retinui lectionem codicum et veterum editionum; cum Lipsio alii scripserunt *assimilavere.* multum de his verbis disputatum est; v. Passov. ad Germ. 9 et quos olim ad hunc locum nominavi. *assimulare aliquid alicui rei* est *comparare.* Ann. 1, 28 *miles — suis laboribus defectionem sideris assimulans.* 15, 39 *Neronem — cecinisse Troianum excidium praesentia mala vetustis cladibus assimulantem.*

2. *unde et in universum fama est transgressa*] A, P. 1, 2, Ven. Alc. praepositione omissa *unde et universum*, et in margine codicis A „Al. *universis*;" in cod. B recte *unde et in universum.* tum uterque codex et P. 1 *transgressis;* Put. 2, Ven. Alc. *transgressus*, quod Doederleinius tuebatur. in editione Rhenani legitur quod nos dedimus; in castigationibus idem vir doctissimus id quod antea erat vulgatum scilicet *transgressus* corrigens legit „*unde et in univ. fama, e transgressis*, q. d. sic narrant, qui transgressi sunt." lectio editionis Rhenanae, quam auctor tacite excudendam curaverat, omnes deinceps libros editos occupavit, nisi quod a recentioribus quibusdam particula *et* omittitur. solus locum tentavit Gronovius qui scriptum fuisse censet *unde ea in universum f. e. tr.* sensus est: fama de illa forma Britanniae etiam in universam insulam transgressa est.

3. *enorme spatium*] A, P. 1, 2, Ven. Alc. *innorme;* Rhenanus tacite emendavit atque ita in B scriptum esse suspicor, quum nihil enotatum sit. mox A *spacium* et P. 1 *velud.* ceterum Handius in Tursell. 3, 138 recte monuit Walchii interpretationem esse falsam neque *iam* umquam significare *fast* nec procurrentes terras esse *wieder vorlaufendes Land.* Tacitus dicit terram, cuius spatium immensum et enorme sit et quae extremo etiam littore in mare passim procurrat, velut in cuneum tenuari itaque falsam esse illam famam, qua tota insula oblongae scutulae vel bipenni similis feratur.

5. *tunc primum*] haec ego ad Fabii Rustici tempora olim male rettuli; his verbis ut supra initio capitis v. *tum primum* Agricolae expeditio in Britanniam facta designatur. cum nostro loco congruit c. 38 *praefecto classis circumvehi Britanniam praecepit* et Dio 66, 20 *Ἀγρικόλας — πρῶτός γε Ῥωμαίων, ὧν ἡμεῖς ἴσμεν, ἔγνω τοῦθ' ὅτι ἡ Βρεττανία περίῤῥυτός ἐστιν.*

tas ad id tempus insulas, quas Orcadas vocant, invenit domuitque. dispecta est et Thyle, quam hactenus nix et

quae alii scriptores tradunt, fide parum digna sunt.

1. *Orcadas*] P. 1, 2, Ven. Alc. *Orchadas.* Nunc *the Orkney isles.* insulae quidem illae tunc certo penitusque cognitae sunt; ante fama saltem celebres fuere, unde Mela 3, 6 *triginta sunt Orcades angustis inter se diductae spatiis.* et Plin. 4, 16, 30 *sunt autem XL Orcades modicis inter se discretae spatiis.* Claudii tempore pervulgata haec fama et solita adulatione statim in victorias cessere. inde Hieronymus in cronico *Claudius de Britannis triumphavit et Orcadas insulas Romano adiecit imperio.* Brot. Orosius etiam 7, 5 Claudium Orcadas Romano imperio adiecisse tradit. Oberl. idem Eutropium 7, 13 rettulisse indicavit Peerlkamp; sed et eius et aliorum errorem notasse Oudendorpium ad Sueton. Claud. 17. adi quoque interpretes ad Iuvenalis sat. 2, 161.

2. *dispecta*] Alc. *despecta.* hoc verbum dicitur de iis, qui a caecitate vel sublatis tenebris vident; v. Ern. clav. Ciceroniana. apud Tacitum significat conspicere, videre; cfr. Ann. 2, 22; 13, 27. Hist. 4, 55.

2. *Thyle*] ita P. 1, 2, Ven. Alc. Rhen.; *Tyle* B; de cod. A. nihil certi mihi constat, nam Maggiorani ad vulgatam *Thule* silet. quam insulam Tacitus intellexerit, numquam liquebit. Camdenus in Britannia 4, 533, Murray in dissertatione de Pythea Massiliensi p. 87 et Broterius insulam esse credunt ex numero earum quae hodie *Shetland* vocantur. sed ea, quae de mari pigro adduntur, ad insulas Britanniae circumiacentes vicinasque referri nullo modo possunt. editor Bipontinus ea, quae de Thule insula veteres (scil. Plinius et Strabo) tradiderunt, ad amussim quadrare in Islandiam putat eiusque sententiam Engelius amplexus est neque ego aliter sentio. non abs re erit legere quae de Thule (Islandia) narrat Dicuilus in libro de mensura orbis 7, 11, 6 ex edit. A. Letronne. de Thule poetarum v. Vossium ad Virg. Georg. 1, 30; ea non magis quaerenda est, quam Basilia et aliae huius generis terrae atque insulae.

2. *quam hactenus nix et hiems appetebat*] in A est *abdebat;* in B *iussum et hiems appetebat;* quod nos scripsimus, legitur in editionibus Puteolani; Rhenanus coniectura dedit lectionem codicis A *abdebat.* quae de hoc loco disputata sunt, nolo repetere; plurimas emendationes Handius in Turs. 3, 10 percensuit et quid in unaquaque sit erratum demonstavit. equidem puto corruptelam latere in verbis *hactenus nix et* vel *iussum et*, ex quibus quid sit eliciendum nondum perspexi. quod olim *hactenus* de tempore intellexi, in hoc sane erravi; sed verbum *appetebat* adhuc praefero alteri verbo, et sensu quidem appropinquandi (coll. Hist. 2, 19) non imminendi sive hostili-

hiems appetebat; sed mare pigrum et grave remigantibus perhibent ne ventis quidem proinde attolli; credo, quod rariores terrae montesque, causa ac materia tempestatum, et profunda moles continui maris tardius impellitur. naturam oceani atque aestus neque quaerere huius operis est ac multi rettulere. unum addiderim, nusquam latius dominari mare, multum fluminum huc atque illuc ferre nec littore tenus accrescere aut resorberi, sed influere penitus

ter accedendi. sententia autem, quae sequitur et quae incipit particula *sed*, indicat his verbis aliquid a scriptore referri, quod impedivit, quominus classis romana ulterius navigaret propiusque ad illam insulam accederet; sed etiamsi illa res non fuisset, aliud impedimentum fuit maris natura, quod pigrum esse et grave remigantibus perhibebant qui tunc erant in classe sive nautici sive milites sive duces et a quibus hoc Tacitus audiverat; utitur enim tempore praesenti *perhibent*.

1. *mare pigrum*] Plin. 4, 16 *a Thule unius diei navigatione mare concretum a nonnullis Cronium appellatur*. Isidor. etymol. 14, 6 (de Thule) *et pigrum et concretum est eius mare*, quae verba repetivit Hrabanus Maurus de universo 12, 5. aliter Dicuilus l. l. *idcirco mentientes falluntur*, *qui circum eam concretum fore mare scripserunt*. idem Tacitus narrat de mari trans Suionas Germ. 45 *mare pigrum ac prope immotum*. v. Drakenb. ad Sil. Ital. 5, 5. et interpretes ad locum e Germania laudatum.

1. *remigantibus*] P. 1, 2, Ven. Beroaldus *remigrantibus*, quod Alciatus tacite emendavit.

2. *perhibent*] sustuli interpunctionis signum, quod olim Rhenanum secutus posueram post *perhibent;* alii ante hoc verbum incidunt.

2. *proinde*] sic B, P. 1, 2, Ven. Alc. Rhen. alii; *perinde*, quod si recte suspicor Maggiorani legit in A, scripserunt Grotius, Ernestius, Broterius, alii; vide Spalding. ad Quint. 5, 13, 21 et 58, Passovium ad Germ. 5 et Zumptii gr. lat. § 282.

2. *causa — tempestatum*] haec in A cum parenthesis signo scripta, utpote quae posita sint in appositione.

5. *neque quaerere — ac multi*] de hac coniunctione poetis et recentioribus scriptoribus usitata v. Handii Turs. 1, 511. — *multi rettulere*. Peerlkamp laudat Plin. hist. nat. 2, 99. Pompon. Mel. 3, 1. Sen. nat. quaest. libr. 3 qui est de aquis.

7. *multum fluminum*] ne intelligas de fluviis ex terra venientibus; flumina sunt *Strömungen*, et maris quidem. HERTEL. flumen enim significat aquae motum; v. Doederl. synon. 2, 7.

8. *resorberi*] primus ni fallor Virgilius dixit de mari Aen. 11, 627

atque ambire et iugis etiam ac montibus inseri velut in
11 suo. ceterum Britanniam qui mortales initio coluerint, indigenae an advecti, ut inter barbaros, parum compertum. habitus corporum varii atque ex eo argumenta. namque rutilae Caledoniam habitantium comae, magni artus Germanicam originem asseverant. Silurum colorati vultus,

(pontus) *nunc rapidus retro atque aestu revoluta resorbens saxa fugit.* tum Plin. epist. 6, 20, 9 *praeterea mare in se resorberi et tremore terrae quasi repelli videbatur.*

1. *et iugis etiam ac montibus*] ita A, ex quo primus recepit Broterius, neque aliter scriptum esse videtur in B; ante Broterium atque Ernestium vulgata lectio erat *ambire, etiam iugis atque montibus* cet., quam lectionem Handius in Turs. 1, 458 notavit propter vocab. *atque* ante consonantem positum.

1. *velut in suo*] Pichena coniecit *insulas*, Heinsius *in solum*, Ernestius melius esse putat *veluti suo.* mare etiam in iugis et montibus quasi imperium exercet, tanquam in suo alveo dominetur. Cic. ad Attic. 13, 1 *nam quomodo nunc est, pedem ubi ponat in suo non habet.* de orat. 3, 31, 124 *quum liceat oratori vagari libere atque, ubicunque constiterit, consistere in suo.* Rothius laudavit Senecam nat. quaest. 3, 30 *non vides, ut aestus fines suos transeat et in possessionem terrarum mare inducat.*

2. *Britanniam*] Put. 2. Ven. Alc. *in Britanniam*, quod tacite, ut saepius, correxit Rhenanus.

3. *ut inter barbaros*] haec verba in A in parenthesi posita.

4. *namque*] hoc codices et omnes editiones habent exceptis editionibus Gronoviorum a. 1672 et 1720, in quibus teste Walthero scriptum est *nam.*

5. *rutilae — comae*] πυῤῥαὶ s. ξανθαὶ τρίχες; v. interpr. ad Germ. 4. Sil. Italic. 3, 608 *iam puer auricomo praeformidare Britanno.*

5. *artus*] B *arcus.*

5. *Germanicam originem asseverant*] Germ. 4 *unde habitus quoque corporum — idem omnibus, truces et caerulei oculi, rutilae comae, magna corpora.*

6. *Silurum*] qui regionem incolebant, quae spectat in occidentem et meridiem, comitatus *Glamorgan, Monmouth, Brecknock, Hereford et Radnor.*

6. *colorati vultus*] Caesar b. g. 5, 14 omnes Britannos succo plantae cuiusdam se inficere tradit. unde Britanni caerulei vocantur apud Martialem epigr. 11, 54. Propert. eleg. 2, 14, 25.

Nunc etiam infectos demens imitare Britannos
Ludis et externo tincta nitore caput.

torti plerumque crines et posita contra Hispania Iberos veteres traiecisse easque sedes habitasse fidem faciunt. proximi Gallis et similes sunt, seu durante originis vi, seu procurrentibus in diversa terris positio coeli corporibus ha-

1. *torti*] uterque codex omittit particulam *et*, quam libri typis excripti habent. codicem A primus secutus erat Beckerus, tum alii.

1. *posita contra Hispania*] haec optima eaque facillima Mureti emendatio. uterque codex, Puteol. Ven. Alc. *Hispaniam*, quum scribae *contra* praepositionem esse putarent. Rhenanus in verborum contextu veterem lectionem retinuit, in castigationibus autem coniecit *positu* atque hoc sibi magis placere addidit quam ut legatur *positi. positu* receptum ab editoribus Francof. et Colon., Bern. Lips. aliis. Pichena scripsit *positus* (i. positio) quem Acidalius et Schefferus secuti sunt. Rhenani correctionem constructio loci non patitur, ut recte monuit Ernestius; nominativus desideratur.

1. *Iberos*] A *Hiberos*. — mox P. 1 *simleis* pro *similes*.

2. *habitasse*] sic cod. A in textu, in margine *occupasse*. illud verbum nunc recepi, quod ante me iam fecerunt Beckerus, Hertelius, Rothius, et quia propius accedit ad usum poetarum, imprimis Virgilii (v. Ecl. 2, 29, 60. 6, 2. Aen. 3, 106.), et quia alterum verbum mox repetitur. cod. B et reliqui libri habent *occupasse*.

2. *proximi Gallis*] Caes. b. g. 5, 14 *ex his omnibus longe sunt humanissimi, qui Cantium incolunt, quae regio est maritima omnis, neque multum a Gallica differunt consuetudine.*

3. *originis vi*] A et B, P. 1, 2, Ven. Alc. *originis usu;* concinnitatem loco reddidit ingeniosa sed tacita Rhenani emendatio.

4. *procurrentibus in diversa terris*] procurrentes in diversa terrae non sunt disiunctae ac divisae (ut Boxhornio placet), sed id ipsum, quod procurrentes inter se terrae: nam a Britannia procurrunt terrae in diversam, hoc est, adversam Galliam; et vicissim e Gallia procurrunt terrae in diversam, hoc est, adversam Britanniam. frequens autem veteribus diversum pro adverso ponere. GRONOV. Vidit verum sensum Gronovius. sed nescio quomodo mihi in sequentibus aliquid deesse videtur. possis legere *positio coeli c. habitum eundem dedit.* nam *eundem* inter ista verba excidere vel absorberi potuisse in promptu est. sed nil definiam. mox nec abnuam pro *eorum* legendum *eadem*, quod iam in mentem venit Groslotio. ERN. *Eundem* subauditur, quia de similitudine iam dictum; nec necesse est ponere *eadem. eorum* refertur ad Gallos, quod proxime praecedit. OBERLIN. *Diversum* pro *adverso* exemplis illustravit Drakenb. ad Sil. 1, 264. in his verbis librarii saepe turbarunt; v. Gronov. ad Liv. 22, 7. Cort. ad Sall. Iug. 31.

4. *positio*] P. 1 *posito*.

bitum dedit. in universum tamen aestimanti Gallos vicinam insulam occupasse credibile est. eorum sacra deprehendas superstitionum persuasione; sermo haud multum diversus; in deposcendis periculis eadem audacia et, ubi advenere, in detrectandis eadem formido. plus tamen ferociae Britanni praeferunt, ut quos nondum longa pax emollierit.

1. *aestimanti*] codicum scripturam ignoramus; in P. 1, 2 *extimati* omissa lineola; in Ven. Alc. *extimanti.* confusio frequens in libris et scriptis et editis; v. Hist. 1, 14 et 16; 4, 73 et 81. fontem erroris iam pridem aperuit Drakenb. ad Liv. 34, 2, 5. cfr. etiam Ern. ad Ann. 13, 17. Buenem. ad Lanct. p. 687. Heusing. emend. p. 89. ceterum similis locus est Germ. 6 *in universum aestimanti plus penes peditem roboris* ubi v. interpretes et adde Rothii excurs. p. 201. nostro tamen loco *aestimanti* non est dativus absolutus sed pendet a v. *credibile est.*

1. *vicinam insulam*] sic uterque codex; in P. 1, 2, Ven. *vicinam solum;* hunc typographi errorem Beroaldus, Alciatus et Rhenanus corrigentes scripserunt *vicinum solum*, quod occupavit omnes omnium recentiorum editiones nonnullasque adhuc occupat.

2. *sacra*] P. 1, 2, Ven. *satra.*

2. *deprehendas*] Britannis eadem numina, ritus, sacerdotes fuisse videntur, qui Gallis. Caes. b. g. 6, 13 de Druidis: *disciplina in Britannia reperta atque inde in Galliam translata esse existimatur; et nunc qui diligentius eam rem cognoscere volunt, plerumque illo discendi causa proficiscuntur.* — *superstitio* autem Romanis erat religio externa. comma vero, quod post v. *deprehendas* ponebatur, deleveram in eoque delendo me secuti sunt nonnulli recentiorum editorum. *persuasione* enim est ablativus causalis atque indicat, cur Gallorum sacra etiam apud Britannos reperiantur. v. Roth. p. 173. idem vocabulum legitur Hist. 5, 5 *eademque cura et de infernis persuasio.*

4. *in deposcendis periculis* cet.] Caes. b. g. 3, 19 *nam ut ad bella suscipienda Gallorum alacer ac promptus est animus, sic mollis ac minime resistens ad calamitates perferendas mens eorum est.*

5. *ferociae*] i. virtutis, fortitudinis, animi fortis. c. 31 coniunguntur *virtus* ac *ferocia*. *ferox* pro *forti* Germ. 32. Ann. 4, 21. v. Cort. ad Sallust. Iug. c. 106.

6. *praeferunt*] i. prae se ferunt; et sic iam Cicero, v. Matthiaeum ad orat. p. Roscio Amer. 87. exempla Taciti aliorumque collegit Boettich. in lexico. sane usitatius est *prae se ferre*, quod infra legitur c. 43 *speciem tamen doloris animo vultuque prae se tulit.*

6. *longa*] P. 1, 2, Ven. *longas;*

nam Gallos quoque in bellis floruisse accepimus; mox se-
gnitia cum otio intravit amissa virtute pariter ac libertate;
quod Britannorum olim victis evenit: ceteri manent, quales
Galli fuerunt. in pedite robur; quaedam nationes et curru 12
proeliantur. honestior auriga; clientes propugnant. olim
regibus parebant; nunc per principes factionibus et studiis
trahuntur. nec aliud adversus validissimas gentes pro no-
bis utilius quam quod in commune non consulunt; rarus
duabus tribusve civitatibus ad propulsandum commune pe-

correxit Beroaldus. mox in Put. 1, 2 *emolierit*.

1. *nam Gallos* cet.] cfr. Germ. 28.

3. *quod Britannorum*] Bipont. Engel. ed. Halens. a. 1808 *quod et Brit.*, sed particula molesta est propter verba, quae sequuntur, *ceteri manent*.

4. *curru proeliantur*] Caes. b. g. 4, 24 *at barbari — praemisso equitatu et essedariis, quo plerumque genere in proeliis uti consuerunt* cet. de genere pugnae ex essedis v. eiusdem libri c. 33. Manut. ad Cic. epist. ad divers. 7, 6.

6. *nunc per principes*] in graecis barbarisque gentibus *princeps* apud veteres Latinos nihil aliud est quam aliquis procerum, optimatium, nobilium. — Olim, inquit, in certis personis familiisque fundabantur regna, gentes complurium populorum complexa; dein, ut et nunc, fato illis aut destitutione sublatis dissiluit validorum illorum corporum unitas et distrahuntur, prout aliquis procerum et quondam regibus proximorum vi et artibus ad homines adiungendos clientesque parandos et retinendos evaluit. GRONOV.

6. *factionibus et studiis trahuntur*] i. distrahuntur in factiones; v. Roth. comment. p. 164.

8. *in commune non consulunt*] Germ. 33 *nihil iam praestare fortuna maius potest quam hostium discordiam*. — Hist. 4, 67 *consultare in commune*. 4, 70 *consulere in unum*. cfr. Ruhnken. ad Terent. Andr. 3, 3, 16. et Hand. Turs. 3, 330.

9. *duabus tribusve*] sic in utroque codice scriptum esse coniicio, quum ad hanc lectionem ex neutro libro quicquam annotatum sit. Put. 1, 2, Ven. Alc. Rhen. legunt *tribusque*, quod Pichena mutavit in *tribusve* ab editoribus sequentibus receptum. equidem in prima editione Puteolani lectionem revocaveram eamque recentiores tenuerunt. hoc loquendi genus, quo Latini particula copulativa pro disiunctiva utuntur, exemplis illustravit Walch. emend. Liv. p. 53 et ad nostrum locum. — Mox pro voc. *conventus* in margine editionis Plantinae est *consensus*, scilicet ex Lipsii coniectura, quod etiam Erne-

riculum conventus. ita singuli pugnant, universi vincuntur. coelum crebris imbribus ac nebulis foedum; asperitas frigorum abest. dierum spatia ultra nostri orbis mensuram; nox clara et extrema Britanniae parte brevis, ut finem atque initium lucis exiguo discrimine internoscas. quod si nubes non officiant, adspici per noctem solis fulgorem nec occidere et exsurgere sed transire affirmant. scilicet extrema et plana terrarum humili umbra non erigunt tenebras infraque coelum et sidera nox cadit. solum praeter oleam vitemque et cetera calidioribus

stius mavult; at *conventus* idem esse potest quod *consensus*, *Uebereinstimmung*, *Uebereinkunft*.

1. *ita singuli pugnant*] ita uterque codex; inde a Puteolano scribebatur *ita dum singuli*, quod defendi potest loco Iustini 8, 1 a Lipsio laudato *Graeciae civitates dum imperare singulae cupiunt, imperium omnes perdiderunt.* codicem A iam secuti erant Beckerus, Rothius, alii.

2. *asperitas frigorum abest*] B *est*. Caes. b. g. 5, 12 *loca sunt temperatiora quam in Gallia, remissioribus frigoribus.*

3. *dierum spatia* cet.] Caes. b. g. 5, 13 *certis ex aqua mensuris breviores esse quam in continente noctes videbamus.*

4. *nox clara*] particulam *et* ante *nox*, quam primus edidit Puteolanus, neuter codex agnoscit.

4. *extrema Britanniae parte*] B ordine inverso *extrema parte Britanniae*.

6. *adspici*] P. 1, 2 *aspici* quam scribendi rationem sunt qui nuper revocarint.

7. *nec occidere*] ita ex castigatione Rhenani scribitur idemque in codicibus invenisse videntur Maggiorani et Clemens. libri ante Rhenanum editi omnes *concidere*, quod nusquam, quantum equidem scio, de sole dicitur neque recte dici potest.

9. *non erigunt tenebras*] Eumenius in panegyrico Constant. de Britannia 9 *longissimae dies et nullae sine aliqua luce noctes, dum illa littorum extrema planities non attollit umbras noctisque metam coeli et siderum transit adspectus.* aliam huius rei causam affert Plinius h. n. 2, 75 ubi v. Harduin. Verbum *erigendi*, quod est *tollere*, *in lucis auras protrahere*, illustravit Besselius in misc. philol. crit. syntagm. p. 12 et laudavit Lucret. 5, 1454. Sil. Ital. 2, 658. Virg. Aen. 3, 576. Tacit. Hist. 5, 6.

9. *infraque coelum*] i. interprete Handio in Turs. 3, 375 ita ut coelum clarum appareat supra.

terris oriri sueta patiens frugum, fecundum: tarde mitescunt, cito proveniunt; eademque utriusque rei causa, multus humor terrarum coelique. fert Britannia aurum et argentum et alia metalla, pretium victoriae. gignit et oceanus margarita sed subfusca ac liventia. quidam artem abesse legentibus arbitrantur; nam in rubro mari viva ac spirantia saxis avelli, in Britannia, prout expulsa sint, colligi. ego facilius crediderim naturam margaritis deesse quam nobis avaritiam.

Ipsi Britanni delectum ac tributa et iniuncta imperii 13

1. *patiens frugum*, *fecundum*] A *patiens: frugum foecundum*, et ita distinxit Waltherus, tum Bachius, sed minus recte; neque *fecundum* est glossa, ut Scheffero placuit; *patiens* hoc loco absolute dici non potest sed coniungenda sunt verba *patiens frugum*, quae iam Ernestius recte interpretatus est, „non modo accipit cultum Britannia, sed etiam copiosas fruges effert.“ sic Germ. 5 *terra — frugiferarum arborum impatiens.*

2. *eademque*] Oberlinus atque alii qui eum sequebantur omiserunt copulam *que.*

2. *multus humor*] multus humor terrae causa est, ut cito proveniant; multus humor coeli, ut tarde mitescant. PICHENA.

3. *terrarum coelique*] B *terrarumque coelique.*

3. *aurum et argentum*] de his metallis tacet Caesar b. g. loco supra laudato. at Strabo 4, 5, 2 refert φέρει δὲ σῖτον καὶ βοσκήματα καὶ χρυσὸν καὶ ἄργυρον καὶ σίδηρον. falsum ergo quod ait Cicero epist. ad Attic. 4, 16 *illud cognitum est neque argenti scrupulum esse ullum in illa insula.* et ad Div. 7, 7 *in Britannia nihil esse audio neque auri neque argenti.* sed hoc loco iocatur.

5. *liventia*] *livens* dicitur de colore nigricante qualis est plumbi, v. Virgil. Aen. 7, 687, et vini; v. Heins. et Drakenb. ad Sil. Ital. 7, 208. vix audiendus est Suetonius, qui in vita Caesaris 47 Iulium Britanniam petisse spe margaritarum prodit. quae Tacitus de earum natura refert, a Plinio H. N. 9, 35 confirmantur. *In Britannia* (uniones) *parvos atque decolores nasci certum est.* Peerlkamp laudavit Ammian. Marcell. 23 p. 281 *quod genus gemmae etiam in Britannici secessibus maris gigni legique, licet dignitate dispari, non ignoramus.*

6. *rubro*] Venet. *rubo* et mox *colli* pro *colligi.*

10. *ipsi Britanni*] similiter pronomen ponitur in transitu a descriptione terrae ad incolas Germ. 2 *ipsos Germanos.* sic gr. αὐτός.

munera impigre obeunt, si iniuriae absint; has aegre tolerant, iam domiti ut pareant, nondum ut serviant. Igitur primus omnium Romanorum divus Iulius cum exercitu Britanniam ingressus, quamquam prospera pugna terruerit incolas ac littore potitus sit, potest videri ostendisse posteris, non tradidisse. mox bella civilia et in rem publicam versa principum arma ac longa oblivio Britanniae etiam in pace. consilium id divus Augustus vocabat, Tiberius praeceptum. agitasse C. Caesarem de intranda Britannia satis constat; ni velox ingenio, mobilis poenitentiae, et ingentes adversus

1. *munera*] hoc vocabulum rarius legitur apud Tacitum, plerumque dixit *munia;* v. Boettich. lex. p. 146.

2. *igitur*] non est *demnach* neque fit conclusio e praecedentibus, ut Waltherus putavit, sed recte Hertelius animadvertit Tacitum absolutis iis, quae de soli natura narraverit, tanquam ad primarium, ad historiam insulae redire. ut autem hoc argumentum nunc tractaret, causa fuit mentio de Britannis iam domitis modo facta. itaque non possum Peerlkampio assentiri qui coniecit scribendum esse: *Legitur primus omnium — ingressus: sed quamquam* cet.

3. *primus*] Bipont. atque Engel. *primum.*

3. *divus Iulius*] cuius de expeditionibus in Britanniam v. b. g. 4, 21 sqq. 5, 5 sqq. Strab. lib. 4. Dio Cass. 39, 50—54. 40, 1—3.

7. *etiam in pace*] B *iam in pace.*

8. *Tiberius praeceptum*] ad hanc lectionem e codicibus nihil annotatum invenio quare in iis ita scriptum esse coniectare possumus, quamquam Broterius teste Walthero alia rettulit. P. 1, 2, Ven. Alc. *Tiberius praecipue agitasse. C. Caesarem* cet. Rhenanus mutato interpunctionis signo scripsit *Tiberius praecipue. Agitasse* cet. quod nunc editur Ursinus legit in suo codice eaque correctio placuit Lipsio et a Berneggero in textum recepta est. Augustus in libello, quem Tiberius in senatu recitari iussit, *addiderat consilium coercendi intra terminos imperii, incertum metu an per invidiam*, Ann. 1, 11. Tiberius pro sua in Augustum reverentia (v. Ann. 1, 77. 4, 37.) hoc consilium habebat ut praeceptum. causae narrantur a Strabone 2, 5 et 4, 5, 3.

9. *agitasse C. Caesarem*] cfr. Sueton. Calig. 44. de expeditionis adversus Germaniam ludibrio v. Hist. 4, 15. Agric. 39. Passov. ad Germ. 37.

10. *ni — fuissent*] i. et intravit, nisi — frustra fuissent. v. Rothii excurs. p. 254.

10. *velox ingenio, mobilis poenitentiae*] A *mobili poenitentiae;* B

Germaniam conatus frustra fuissent. divus Claudius auctor operis transvectis legionibus auxiliisque et assumpto in partem rerum Vespasiano, quod initium venturae mox fortunae fuit. domitae gentes, capti reges et monstratus fatis Vespasianus.

velox ingenii, *mobilis poenitentiae;* Puteol. et reliqui libri editi *mobilis poenitentia.* Beckerus e codice B primus recepit *poenitentiae* propter auctoritatem codicum et quia in hoc vocabulo conveniunt. nunc etiam ego codices secutus sum imprimis ob sermonis varietatem, quam Tacitus amat. v. Rothii excursum 33. sic Ann. 6, 30 *Gaetulicus*, *effusae clementiae*, *modicus severitate.* Hist. 1, 53 *Caecina decora iuventa*, *corpore ingens*, *animi immodicus.* Vitia sibi opponuntur inter se diversa, ut in eodem viro erat *summa confidentia et contra nimius metus*, Sueton. Calig. 51. ceterum in his verbis esse zeugma atque *fuisset* supplendum esse, vix est cur moneam.

1. *divus Claudius*] cfr. Dio Cass. 60, 19 sqq. Sueton. Claud. 17 et de Vespasiano in partem rerum assumpto Sueton. Vesp. 4.

1. *auctor operis*] in utroque codice scriptum est *auctoritate.* recte explicant Bipontini, auctor fuit rei adversus Britannos gerendae et feliciter gestae. locus similis Velleii 1, 5, 2 *neque quemquam alium*, *cuius operis primus auctor fuerit*, *in eo perfectissimum praeter Homerum et Archilochum reperiemus.* Rothius codicum lectionem ita emendavit, *auctore intravit Berico*, provocans ad Dionem 60, 19; non male quidem; sed si Dionis auctoritatem sequi velimus, non Bericus, sed Aulus Plautius auctor fuit, ut Claudius intraret Britanniam. v. Dion. l. l. c. 21. Peerlkamp coniecit *auctor exstitit.*

2. *auxiliisque*] P. 2 *auxilisque.*

3. *quod initium*] non est ambigue dictum, ut olim interpretatus sum, sed relativum referendum est ad verba, quae proxime praecedunt; quod Vespasianus in partem rerum assumptus erat, initium venturae mox fortunae fuit.

4. *domitae gentes*] A et B *domitiae gentis.* fortasse scriba vel auctor huius lectionis cogitabat de fortuna gentis Domitiae. ceterum Dio loco supra laudato solam Bodunorum gentem commemorat.

4. *monstratus fatis Vespasianus*] i. a fatis; fata, ait Peerlkamp, hic primum monstrarunt Vespasianum, quem rebus deinde maioribus destinaverant. laudant Hist. 1, 10 *occulta lege fati et ostentis ac responsis destinatum Vespasiano liberisque eius imperium*, *post fortunam credidimus.* ducta est autem haec loquendi ratio ex Virgil. Aen. 6, 870 *ostendent terris hunc tantum fata.*

14 Consularium primus Aulus Plautius praepositus ac subinde Ostorius Scapula, uterque bello egregius, redactaque paullatim in formam provinciae proxima pars Britanniae: addita insuper veteranorum colonia: quaedam civitates Cogidumno regi donatae (is ad nostram usque memoriam fidissimus mansit), ut vetere ac iam pridem recepta populi Romani consuetudine haberet instrumenta servitutis et reges. mox Didius Gallus parta a prioribus continuit paucis admodum castellis in ulteriora promotis, per quae fama

1. *Aulus Plautius*] A (alterius codicis lectio ignota) P. 1, 2, Ven. Alc. *Plancius* sive *Plantius*. inde a Rhenani temporibus scribitur *Plautius*. eadem lectionis varietas est Ann. 13, 32. *Auli* nomen Bipontini mutant in *Aelianum*, nimirum ex inscriptione, de qua v. interpretes ad Hist. 4, 53. vulgatam formam firmat Dio 60, 19 *κατὰ δὲ τὸν αὐτὸν τοῦτον χρόνον Αὖλος Πλαύτιος βουλευτὴς λογιμώτατος ἐς τὴν Βρεττανίαν ἐστράτευσε.*

2. *Ostorius Scapula*] cuius de rebus gestis v. Ann. 12, 31—39. propraetor in Britanniam, cuius res erant turbidae, missus Icenos, Cangos, Brigantes rebelles compescuit, Siluras proelio devicit, Caractacum regem cepit et cum suis Romam deductum ostentavit. censentur ei triumphi insignia; Britannis vires denuo reparantibus Ostorius taedio curarum fessus vita cessit. Broterius narrat prope urbem Hereford in Herefordshire parochiaque Dinder extare adhuc castrum Romanum appellatum Oyster-Hill, ab Ostorio Scapula ut videatur locatum et nominatum. v. Cambdeni Britannia 3, 74. at in his, ut ipse alio loco fatetur, facilis est divinatio, proclivis error, rarissima veritas.

4. *veteranorum colonia*] Camulodunum, nunc Colchester. v. Lipsium et Ernestium ad Ann. 12, 32.

4. *Cogidumno*] ita scripsi e cod. A; alter teste Broterio (nam Clemens nihil enotavit) *Cogidunno;* libri impressi *Cogiduno.*

6. *ut vetere — haberet*] sic A et B, Put. 1, 2, Ven. Alc.; Rhenanus coniunctionem *ut* transposuit e versu superiore ante v. *haberet* lectore non monito. sane non est perinde quomodo legatur. nunc *haberet* referendum est ad Ostorium Scapulam; si Rhenanum sequimur, intelligendus est populus Romanus.

7. *et reges*] A et B, P. 1, 2, Ven. Alc. *regis;* cod. B praeterea omittit particulam *et*. de re ipsa v. Ann. 14, 26. 15, 1. Hist. 2, 81.

8. *Didius Gallus*] Ann. 12, 40 *Didius senectute gravis et multa copia honorum per ministros agere et arcere hostem satis habebat.*

aucti officii quaereretur. Didium Veranius excepit isque intra annum exstinctus est. Suetonius hinc Paulinus biennio prosperas res habuit subactis nationibus firmatisque praesidiis, quorum fiducia Monam insulam ut vires rebellibus ministrantem aggressus terga occasioni patefecit. namque absentia legati remoto metu Britanni agitare inter se mala servitutis, conferre iniurias et interpretando accendere: nihil profici patientia, nisi ut graviora tamquam ex facili tolerantibus imperentur; singulos sibi olim reges fuisse, nunc binos imponi, e quibus legatus in sanguinem, procu-

1. *Veranius*] Ann. 14, 29 *successor* (Didii) *Veranius modicis excursibus Siluras populatus, quin ultra bellum proferret, morte prohibitus est.*

2. *Paulinus*] sic A, P. 1, 2, Ven. Alc. Rhen.; alii *Paullinus*. de eius adversus Monam expeditione v. Ann. l. l. et ibidem Ern. de hac insula, quae hodie Anglesey nominatur.

3. *firmatisque praesidiis*] Peerlkamp explicavit *nationes firmatae praesidiis*; sed participium *firmatis* non pertinet ad v. *nationibus*. *praesidium* interdum ipsum locum designat praesidiariis militibus firmatum vel firmandum; v. Boettich. lexic.

4. *Monam*] B *Nomam*.

4. *vires*] sic uterque codex et Rhenanus ex ingenio. Puteolani veterumque editionum lectionem *viros* olim revocavi, Walthero et Bachio obsecutis, sed nulla ratione, quamquam Ann. 14, 29 insula dicitur *incolis valida*. nam non solum copiis sed etiam aliis rebus puto rebelles adiutos esse ab incolis illius insulae. denique *vires* idem significat. infra c. 38 *datae ad id vires*. Hist. 2, 74 *Vespasianus bellum armaque et procul vel iuxta sitas vires circumspectabat.* verbum *ministrandi*, in quo Waltherus offendit, similiter dicitur Hist. 2, 76 *nova quotidie bello semina ministrat.*

8. *profici patientia*] B *sapientia.*

8. *ex facili tolerantibus*] i. facile. hanc dictionem et similes *ex aequo*, *abundanti* cet. finxit Latinorum lingua ad Graecorum consuetudinem. v. Walch. emend. Liv. p. 163. Handii Tursell. 3, 653 sqq. et Rothii excurs. p. 220.

10. *e quibus — saeviret*] Ernestius accusativum cum infinitivo corrigendum aut saltem *saeviat* legendum esse censet. sed vide quae contra monuit Krüger in libro *Untersuchungen aus dem Gebiete der l. Sp.* 1, 45 et 2, 78. Exemplum avaritiae procuratoriae est Catus Decianus, qua Britanni in bellum acti narrantur Ann. 14, 32.

rator in bona saeviret; aeque discordiam praepositorum, aeque concordiam subiectis exitiosam. alterius manus centuriones, alterius servos vim et contumelias miscere. nihil iam cupiditati, nihil libidini exceptum. in proelio fortiorem esse, qui spoliet; nunc ab ignavis plerumque et imbellibus eripi domos, abstrahi liberos, iniungi delectus, tamquam mori tantum pro patria nescientibus. quantulum enim transisse militum, si sese Britanni numerent? sic Germanias excussisse iugum,

1. *praepositorum*] Ven. *praepositorium.*

1. *aeque concordiam*] Gesnerus coniecit *atque* idemque tentavit Ernestius. Handii sententia, quam exposuit in Turs. 1, 194, haec est. „In *aeque* — *aeque* comparatio fit ex utraque parte vicissim — atque sensus inest hic: sive discordes essent praepositi sive concordes, aeque exitiosam esse conditionem subiectorum.“

2. *alterius manus centuriones, alterius servos*] A et codex Ursini *alterius manus centurionis, alterius servos;* B *alterius manum centurionis*, *alterius servos;* Put. 1, 2, Ven. Alc. *manus centurionis, alterius vim* omisso v. *servos;* Rhenanus emendavit *centuriones* servato interpunctionis signo; hoc transposuit Boxhornius et ante eum Gronovius diatr. in Statium p. 264 et ad n. l. eorumque lectio *alterius manus, centuriones alterius vim* in textum recepta erat. in prima editione obtemperaveram codici A; nunc sequutus sum Odofredum Müllerum, qui in censura mei libri hunc locum primus recte constituit. Britanni queruntur, quod binos habeant tyrannos, legatum et procuratorem, quorum ille in sanguinem, hic in bona saeviat. alterius manus (*manum* ferri non potest) quibus utatur esse centuriones, alterius manus servos; et centuriones et servos vi agere; sed ab his vexari etiam contumeliosius esse. centuriones autem dici posse legati manus docet Cicero Verrin. 2, 10, 27 *comites illi tui delecti manus erant tuae.* sed plurimum ad stabiliendam illam lectionem conferunt quae de saevitia Romanorum apud Icenos, qui regina duce hoc ipso tempore rebellabant, Tacitus ipse narrat Ann. 14, 31 *rex Icenorum Prasutagus longa opulentia clarus Caesarem haeredem duasque filias scripserat*, *tali obsequio ratus regnum et domum suam proculiniuria fore, quod contra vertit, adeo ut regnum per centuriones*, *domus per servos velut capta vastarentur.*

5. *imbellibus*] A *imbecillibus* teste Broterio; Maggiorani tacet.

7. *quantulum*] recepi nunc codicum lectionem. Puteolanus edidit *quantum*, quod vulgo legebatur, eodem quidem sensu. v. Burm. ad Lucan. 3, 392 et Matthiaeum ad Cic. p. l. Manil. 6, 14.

8. *Germanias*] *Germaniae* di-

et flumine, non oceano defendi: sibi patriam, coniuges, parentes, illis avaritiam et luxuriam causas belli esse; recessuros, ut divus Iulius recessisset, modo virtutem maiorum suorum aemularentur. neve proelii unius aut alterius eventu pavescerent: plus impetus, maiorem constantiam penes miseros esse. iam Britannorum etiam deos misereri, qui Romanum ducem absentem, qui relegatum in alia insula exercitum detinerent; iam ipsos, quod difficillimum fuerit, deliberare. porro in eiusmodi consiliis periculosius esse deprehendi quam audere. his atque talibus invicem 16
instincti Boadica generis regii femina duce (neque enim

cuntur pro Germanis, quomodo *Britanniae*, *Galliae*. Handius in Tursell. 1, 415.

1. *defendi: sibi patriam*] B ita distinguit *defendi sibi patriam. Coniuges.*

3. *ut divus Iulius*] Iulium ab hostibus *divum* dici Engelius vix sibi persuadere potest. Peerlkamp hoc vocabulum hic ideo minus alienum putat a consuetudine loquendi barbara, quia Romani vulgo sic appellabant suos Caesares, v. Erhard ad Petron. c. 124, praecipue autem Iulium Caesarem.

3. *virtutem*] hanc lectionem ex cod. A Broterius enotavit silente Maggioranio; ex altero codice nunc Clemens nobiscum communicavit. vulgo *virtutes.* sed una virtus, bellica, intelligenda est.

5. *plus impetus* cet.] nescio quid tandem Ernestius adsentiatur Acidalio, qui suspicatus erat, post *impetus* omissum esse aliquid, quod pertineat ad Romanos opponaturque *miseris.* utrumque et *impetus* et *constantia* bene se habet in miseris, quibus plus impetus est propter desperationem, et plus etiam constantiae, quia ipsis nullum amplius refugium.

7. *relegatum*] frustra tentat Lipsius *religatum.* per contemptum, ut Ernestius observat, missi aliquo relegati vocantur aut exsules.

8. *iam ipsos* cet.] Lipsius hanc sententiam comparavit cum Hist. 2, 77 *nam qui deliberant*, *desciverunt.* verba autem *quod diffic. fuerit* referenda sunt ad c. 12 *in commune non consulunt.*

10. *invicem instincti*] belli causam prodit Tacitus Ann. 14, 31 sqq. eadem res narratur a Dione 62, 1—13. de particula *invicem* cfr. Handii Tursell. 3, 453, 5 sqq. *instincti* i. furore quodam afflati; sic c. 35 *instinctos ruentesque.* Ann. 2, 46. Hist. 1, 70. 4, 24. Dial. 14 *vixdum finierat Maternus concitatus et velut instinctus*, ubi Doederl. de synon. lat. 1, 161 laudaveram.

11. *Boadica*] A *Voadicca*, B *Voaduca*, P. 1, 2, Ven. Alc. Rhen.

sexum in imperiis discernunt) sumpsere universi bellum, ac sparsos per castella milites consectati expugnatis praesidiis ipsam coloniam invasere ut sedem servitutis. nec ullum in barbaris saevitiae genus omisit ira et victoria. quod nisi Paulinus cognito provinciae motu propere subvenisset, amissa Britannia foret, quam unius proelii fortuna veteri patientiae restituit, tenentibus arma plerisque, quos conscientia defectionis et propius ex legato timor agitabat. hic quum egregius cetera arroganter in deditos et ut

Voadica; alii aliter scribunt. eadem varietas est Ann. l. l. Uxor fuit Prasutagi regis Icenorum; devicta vitam veneno finivit, in quo Dio recedit a Tacito, qui eam morbo consumtam esse tradit.

1. *sumpsere bellum*] et poetae et scriptores ita loquuntur, ut nulla sit poetarum imitatio, quam esse olim diximus. sic Livius *sumere duellum*, *certamen*, Sallustius Iug. 20 *sumere bellum* dixit; Graeci *αἵρεσθαι τὸν πόλεμον*.

4. *in barbaris*] i. nullum genus saevitiae qualis apud s. inter barbaros esse solet; v. Rothii excurs. p. 237.

4. *omisit*] P. 1, 2, Ven. Alc. *amisit;* vulgatam lectionem, quae in libris scriptis esse videtur, dedit Rhenanus.

4. *ira et victoria*] supersedemus emendationibus Scriverii atque Heinsii, quorum ille suspicabatur *irata victoria*, hic *ira victoris*. est ἓν διὰ δυοῖν; v. Boettich. proleg. p. 80. Hand. Turs. 2, 476.

5. *cognito — motu*] Ven. Ber. Alc. Rhen. alii *eo cognito;* pronomen omissum est in utroque codice et in Put. 1 et 2.

8. *propius*] ita A et B, P. 1, 2, Ven. Alc. Broter. Ern. et recentiores; in editionem Rhenani irrepserat *proprius*, operarum fortasse errore, qui a multis editoribus recipiebatur. vulgatam sic explicat Ernestius. „*Propius* h. e. magis, maiore sollicitudine. plus timebant legatum ipsum, cuius acerbitatem et arrogantiam sciebant. propiora exquisite dicuntur, quae magis ad nos pertinent adeoque magis nos sollicitant, ut *propior cura* apud Ovid. Metam. 13, 578.“

9. *hic quum egregius* cet.] pro v. *hic quum* in A scriptum est *nequaquam* et supra additum *neque;* in B locus ita scriptus *agitabat nequaquam egregius.. Caetera arroganter.* tum in sequentibus *missus igitur Petronius* A Broterio quidem referente, non item Maggioranio, et B teste Clemente, P. 1, 2, Ven. ex hac codicum et editionum principum lectione novam concinnavit primus ni fallor Walchius, quanquam eiusdem inventi laudem Wal-

suae quoque iniuriae ultor durius consuleret; missus Petronius Turpilianus tamquam exorabilior et delictis hostium novus eoque poenitentiae mitior, compositis prioribus nihil ultra ausus Trebellio Maximo provinciam tradidit. Trebellius segnior et nullis castrorum experimentis comitate quadam curandi provinciam tenuit. didicere iam barbari quoque ignoscere vitiis blandientibus, et interventus civilium armorum praebuit iustam segnitiae excusationem; sed discordia laboratum, quum assuetus expeditionibus miles otio lascivi-

therus sibi vindicat, et hanc quidem: *agitabat, ne quamquam egregius cetera, — durius consuleret. Missus igitur* cet., receptam a Walthero, Rothio, Bachio. sed primum Handius in Turs. 2, 42 monuit neminem veterum scriptorum huic dictioni (i. cetera) *quamquam* adiunxisse. tum in his verbis *ne — consuleret*, si ex mente Britannorum dicta sint, nescio quid absurdi inesse opinor, quod nuper etiam demonstravit Kaemmerer in dissertatione s. l. p. 7. itaque retinui veterem lectionem quae tum a Puteolano tum a Beroaldo profecta est. Puteolanus ex suo codice dedit *hic quum*, Beroaldus omisit particulam *igitur*.

1. *suae quoque*] A *suae eiusque*.

1. *Petronius Turpilianus*] de hoc v. Ann. 14, 39. Hist. 1, 6. de *Trebellio Maximo* Hist. 1, 60. de *Vettio Bolano* Ann. 15, 3. Hist. 2, 65. 79.

2. *et delictis h. novus*] B *novis*. Pichena corrigebat *qui delictis;* Ernestius proposuit *is delictis*. mox in Put. 1 *poenitientiae*.

3. *ultra ausus*] B *ausis*.

5. *nullis castrorum experimentis*] experimentum hoc loco non significat eventum, ut Boettich. in lexico explicavit, sed usum rei bellicae cuius erat imperitus. de sermonis varietate v. Roth. exc. p. 277. sic Ann. 2, 9 *erat in exercitu Flavius insignis fide et amisso per vulnus oculo*. Ann. 6, 9 *maiestatis postulantur — clari genus et quidam summis honoribus*.

5. *comitate quadam curandi*] curare est administrare et hoc loco absolute positum est ut Hist. 3, 15 *exploratores longius curabant*. Ann. 11, 22 *dein gliscentibus negotiis duo additi qui Romae curarent*.

6. *ignoscere vitiis blandientibus*] non puto *vitiis bl.* pendere a verbo ignoscendi, sed est ablativus, atque ad *ignoscere* supplendum est Romanis. vitiorum autem delenimenta enarrantur c. 21 extr.

8. *iustam segnitiae excusationem*] B *iustam saevitiae excusationem*. — Excusabat se Trebellius ideo non ducere in hostem, ne simul et civili et externo bello urgeretur imperium et vires attererentur. VIRDUNG.

ret. Trebellius fuga ac latebris vitata exercitus ira indecorus atque humilis precario mox praefuit, ac velut pacti, exercitus licentiam, dux salutem, et seditio sine sanguine stetit. nec Vettius Bolanus manentibus adhuc civilibus bellis agitavit Britanniam disciplina. eadem inertia erga hostes, similis petulantia castrorum, nisi quod innocens Bolanus et nullis delictis invisus caritatem paraverat loco
17 auctoritatis. sed ubi cum cetero orbe Vespasianus et Britanniam recuperavit, magni duces, egregii exercitus, mi-

1. *indecorus*] A et B *indecoris*, quam formam olim et usu Virgiliano et testimoniis grammaticorum tuebar. sed memor eorum quae Peerlkamp monuit eam in textum recipere dubitavi. nam nullus est locus ubi nominativus numeri singularis generis masculini legitur.

2. *precario*] i. iure, ut plene legitur Germ. 44; exempla iam Rhenanus collegit in thesauro locut. p. 52.

2. *ac velut pacti*] i. sunt. similis orationis formatio, sed plenae orationis est Histor. 2, 15 *ac velut pactis induciis — Vitelliani retro — revertere.*

3. *et seditio*] sic uterque codex, et B praeterea *salute*. vulgo *haec seditio*. particula *et* habet vim conclusivam et explicanda est *et ita*, *et sic*, *und so*. v. Hand. Tursell. 2, 484.

4. *stetit*] non est quod substitit, cessavit, ut Bachius interpretatur; sed *stare* de pretio intelligendum est ut in formulis magni, pluris stare. Hist. 3, 53 *maiore damno, plurium urbium excidiis veteres civium discordias rei publicae stetisse.*

4. *Vettius Bolanus*] A (ut supra c. 8) Puteol. Alc. Rhen. *Vectius Vol.*

5. *disciplina*] B *disciplina et eadem.* — Adulationis ergo arguendus videtur Statius, cum Crispinum Bolani filium ita alloquitur Silv. 3, 2, 53 *aliis Decii reducesque Camilli monstrentur; tu disce patrem quantusque nigrantem fluctibus occiduis fessoque Hyperione Thulen intravit mandata gerens.* et mox ibid. 142. Brot.

6. *nisi quod*] cfr. ad c. 6.

9. *recuperavit*] sic A et editiones veteres. alii cum Lipsio *reciperavit*. Ante hunc principem bello civili inter Othonem et Vitellium ubique turbatum est; Vespasianus concussum Romanorum imperium denuo firmavit.

9. *magni duces*] est ellipsis v. apparuere sive conspiciebantur, ut placet Boettich. proleg. p. 87.

nuta hostium spes. et terrorem statim intulit Petilius Cerialis Brigantum civitatem, quae numerosissima provinciae totius perhibetur, aggressus. multa proelia et aliquando non incruenta, magnamque Brigantum partem aut victoria amplexus est aut bello. et quum Cerialis quidem alterius successoris curam famamque obruisset, sustinuit quoque molem Iulius Frontinus, vir magnus quantum licebat, validamque et pugnacem Silurum gentem armis subegit super virtutem hostium locorum quoque difficultates eluctatus.

1. *et terrorem*] *et*, quasi anacrusis, praemittitur ei verbo, quod cum graviori voculatione pronuntiandum est et in sententia principatum obtinet. Handius in Tursell. 2, 488.

1. *Cerialis*] A *Caerealis*, B, P. 1, 2, Alc. Rhen. *Cerealis;* et sic etiam infra.

2. *Brigantum civitatem*] A *Bregantum* et mox *Bregantium;* B in utroque loco *Bregantum*, non *Bregantium* ut refert Broterius.

3. *perhibetur*] B *perhiberet;* Ven. *prohibetur.* v. Drakenb. ad Sil. Ital. 4, 548. Ruhnk. ad Vellei. 2, 106, 2.

4. *aut victoria amplexus est aut bello*] sic uterque codex; a Puteolano omissum erat v. *est.* Cerialis magnam terrae partem occupavit tum incolis in potestatem redactis et devictis tum bello inferendo.

5. *et quum Cerialis*] *quum* ab utroque codice male abest. sensus est hic. quamvis Cerialis res tam praeclaras gesserit, ut etiam alius successoris (atque Frontinus fuit; alter enim est ἕτερός τις, *ein anderer*, non *jeder andere*,) curam diligentiamque superare itaque famam, quae ex magnis laboribus et rebus praeclare gestis oriri solet, obscuriorem reddere potuisset; tamen etiam Frontinus ipsi parem sese praestitit neque mole obrutus est. *quidem* non friget sed maiorem vim vocabulo *Cerialis* addit; eademque ratione *quoque* auget vim verbi *sustinuit*, quod oppositum est alteri verbo *obruisset.* verbum *obruendi* illustrarunt Gebhard. ad Corn. Nep. 4, 1, 1 et interpretes ad Valer. Flacc. Argon. 1, 319. sic infra c. 46 *oblivio obruet.*

6. *obruisset*] P. 1 *obruisse.* — *sustinuit quoque*] B *sustinuitque.* — *validamque*] P. 1 *validasque;* P. 2 et Ven. *validansque.*

7. *quantum licebat*] haec pertinent ad v. *vir magnus.* Frontinus tantus fuit quantus pro temporum ratione fieri potuit.

9. *locorum quoque*] sic uterque codex et Rhenanus ex emendatione; Puteolanus scripserat *locorumque* quod et ego olim revocavi et alii me secuti.

9. *difficultates eluctatus*] sic Hist. 3, 59 *nives eluctantibus.*

18 Hunc Britanniae statum, has bellorum vices media iam aestate transgressus Agricola invenit, quum et milites velut omissa expeditione ad securitatem et hostes ad occasionem verterentur. Ordovicum civitas haud multo ante adventum eius alam in finibus suis agentem prope universam obtriverat. eoque initio erecta provincia et quibus bellum volentibus erat, probare exemplum ac recentis legati animum opperiri, quum Agricola,

4. *verterentur*] A *uterentur*, quod neque mihi displicuit et a Beckero, Peerlkampio, Walthero, Rothio, Bachio receptum est. sed nullo modo recte dici potest: *quum uterentur expeditione velut omissa esset;* interposita illa verba sunt ablativus absolutus. *verti ad occasionem* interprete Hertelio est *τρέπεσθαι πρὸς καιρόν* i. videre et exspectare, quando occasio rei gerendae detur. sic *occasio* c. 14 et 24. ceterum Waltherus et Bachius totum locum male interpungunt; nova sententia incipere debet verbis *Ordovicum civitas.*

4. *Ordovicum civitas*] sita erat e regione Monae insulae, ubi nunc comitatus Montgomery, Merioneth, Caernarvon, Flint, Denbigh.

5. *in finibus suis agentem*] *agere* saepius absolute dicitur de copiis. Hist. 1, 74 *easque, quae Lugduni agebant, copias specie senatus misit.* Ann. 2, 17 *agnitum a Chaucis inter auxilia Romana agentibus.*

6. *eoque initio*] *eoque* non est *ideoque*, qua de significatione v. Hand. Tursell. 2, 410, sed pronomen pertinet ad substantivum *initio.* verte: *und durch diesen glücklichen Anfang (i. des Aufstandes) wurde die Provinz aufgeregt.*

7. *et quibus*] sic uterque codex, receptum a Broterio, Ernestio, aliis. Puteolanus scripsit *ut quibus* quod cum aliis ego quoque in prima editione dederam. sensum bene explicavit Rothius. *quibus — volentibus* dictum est graeca constructione de qua cfr. Matthiaei gr. § 388, e et Buttm. gr. § 133, 18. sic Hist. 3, 43 *Maturo ceterisque remanere et in verba Vespasiani adigi volentibus fuit.* Sall. Jug. 84 *neque plebi militia volenti putabatur*, ad quem locum v. Kritzium.

8. *ac recentis*] hoc habent codices Vaticani, Puteolanus, Alciatus; *aut* primus dedit Rhenanus, tum ceteri; Bipont. et Engel. particulam prorsus omittunt; recentiores fere omnes me secuti sunt. de significatione particulae quae verti potest *gleichwohl*, v. Hand. Tursell. 1, 488.

8. *quum Agricola*] uterque codex *cum* pro *tum* quod inde a Puteolano edebatur. in prima edi-

quamquam transvecta aestas, sparsi per provinciam numeri, praesumpta apud militem illius anni quies, tarda et contraria bellum inchoaturo, et plerisque custodiri suspecta potius videbatur, ire obviam discrimini statuit. contractisque legionum vexillis et modica auxiliorum manu, quia in aequum degredi Ordovices non audebant, ipse ante agmen,

tione oblitus eram lectionem codicis A commemorare. nunc illa coniunctione recepta et mutato interpunctionis signo concinnitas loco reddita est.

1. *transvecta aestas*] ita scripsi cum utroque codice, Puteolano, Alciato et sic recentiores; reliqui cum Rhenano *transacta*. at *transvehi* nonnunquam de tempore dicitur; sic Hist. 2, 76 *abiit et transvectum est tempus*.

1. *sparsi per provinciam numeri*] i. numeri militares, cohortes, manipuli, cet. Hist. 1, 6 *multi ad hoc numeri e Germania, quos idem Nero — revocaverat*. Plin. epist. 10, 38 (de tironibus) *nondum distributi in numeros erant*. Sueton. Vespas. 6 *et tunc quidem compressa res est revocatis ad officium numeris*. frustra igitur quamquam probante Grutero Ursinus tentavit *innumeri*.

2. *tarda — inchoaturo*] Ven. *incohaturo*. haec verba in appositione posita sunt. *tarda* autem sensu transitivo dictum, ut a poeta *tarda podagra*, *tarda senectus*.

3. *et plerisque — videbatur*] i. e. plerique legati, tribuni, censebant melius fore, si suspectae provinciae partes praesidiis imponendis custodirentur caverenturque, ne quid movere possent, ut recte capit Pichena. ERN.

4. *legionum vexillis*] alii cum Virdungo intelligunt veteranos qui post viginti stipendiorum annos exauctorati sub vexillis suae legionis manebant, donec iuste mitterentur; cfr. Walch. ad h. l. alii vero cum Gronovio partes legionum esse dicunt, quae ab legionum suarum corpore ad tempus discedebant et sub vexillis agebant; v. Hertelii excursum de vexillariis.

6. *degredi*] *digredi* A et omnes editiones ante Acidalium et Pichenam, qui hoc corrigebant, quod Clemens in altero codice legisse videtur. illud ego in prima editione male receperam.

6. *ipse ante agmen*] periculi similitudo magis in eo cernebatur, quod dux equum dimittebat. ipse Agricola c. 35 *dimisso equo pedes ante vexilla constitit*. Sallust. Catil. 59 *dein remotis omnium equis, quo militibus exaequato periculo animus amplior esset, ipse pedes exercitum instruit*. similia sunt in Caesare b. g. 1, 25. Liv. 2, 20. praestaret in Tacito *pedes ante agmen*. litterae modo sunt transponendae. PEERLKAMP. de usu

quo ceteris par animus simili periculo esset, erexit aciem; caesaque prope universa gente, non ignarus instandum famae ac, prout prima cessissent, fore universa, Monam insulam, cuius possessione revocatum Paulinum rebellione totius Britanniae supra memoravi, redigere in potestatem animo intendit. sed, ut in dubiis consiliis, naves deerant;

praepositionis *ante* v. Rothium p. 237.

1. *erexit aciem*] *erigere aciem* est in arduum versus montem ducere ut apud Livium 1, 27 *inde, ubi satis subisse sese ratus est, erigit totam aciem.* 3, 18 *hunc ducem secuti nequicquam reclamantibus tribunis in clivum capitolinum erigunt aciem.* sed et saepius sic Tacitus. Gronov. Hist. 3, 71 *erigere aciem per adversum collem.* 4, 71 *aciem in collem erigere.* Agric. 36. Liv. 9, 31. 10, 26.

3. *cessissent, fore universa*] A et B *cessissent terrorem caeteris fore universa* quod Peerlkamp recepit; sed hoc nihil est. itaque Beckerus et qui eum sequi solent vocabulo *universa* reiecto scripserunt *terrorem caeteris fore.* ego etiamnunc retinui Puteolani lectionem quamvis mihi displiceat v. *universa*, quod non recte opponi potest vocabulo *prima.* sensus requirit *cetera* vel simile quid. codicum autem lectionem propterea spernendam esse duxi, quia verba *prout prima cessissent* alius rei mentionem postulant quam terroris; id quod similes sententiae testantur. Hist. 2, 20 extr. *gnarus ut initia belli provenissent, famam in cetera fore.* Cic. ad Attic. 10, 18 *ut male posuimus initia, sic cetera sequentur*, quem locum Peerlkamp laudavit.

3. *Monam*] B *Nomam* ut supra c. 14.

4. *cuius possessione*] Bipont. Engel. Schlueter. *a cuius poss.*, quod etiam ego in prima editione scripsi, sed nulla causa. v. Zumpt. gr. § 468. *possessio* autem est actio *τοῦ κτᾶσθαι*, possidendi sive occupandi (v. Gronov. et Oberl. ad Ann. 2, 5); nam *possidere* interdum est *occupare.* Caes. b. g. 4, 7 *vel sibi agros attribuant vel patiantur eos tenere, quos possederint.* Sallust. Iug. 18 *ac postea — possidere ea loca, quae proxume Carthaginem Numidia appellatur.* eod. cap. extr. *denique Africae pars inferior pleraque ab Numidis possessa est.* Liv. 24, 25. 31, 31. Tacit. Hist. 3, 8 et 59.

6. *animo intendit*] Hertelius admonuit saepius dici *animum intendere;* sed ita loqui Tacitus hoc loco non potuit, nam obiectum quod vocant est *Monam redigere in potestatem.* attamen rarior esse videtur illa dicendi formula. Cic. Philipp. 10, 4 *si enim C. Antonius, quod animo intenderat, perficere potuisset.* Liv. 1, 25 *itaque ergo erecti suspensique in minime gratum spectaculum animo intenduntur.*

6. *sed — transvexit*] B cumpa-

ratio et constantia ducis transvexit. depositis omnibus sarcinis lectissimos auxiliarium, quibus nota vada et patrius nandi usus, quo simul seque et arma et equos regunt, ita repente immisit, ut obstupefacti hostes, qui classem, qui navis, qui mare exspectabant, nihil arduum aut invictum crediderint sic ad bellum venientibus. ita petita pace ac dedita insula clarus ac magnus haberi Agricola, quippe cui ingredienti provinciam, quod tempus alii per ostentationem aut offi-

renthesi et sine interpunctione *consiliis (naves deerant) ratio et* quae scribendi ratio proposita erat in ephemer. litter. Ienens. a. 1816 p. 74 et Doederleinio olim placuit. habet quidem haec lectio quo se commendet, mihi tamen scrupulum facit particula *sed*. Gronovius Tacitum scripsisse suspicatur *in subitis consiliis*, quod Ernestius probavit. Pichena duplici modo corrigit vel supplemento *sed quoniam, ut*, vel interpunctione *sed — naves deerant. Ratio* cet. Acidalius loco medetur transpositione, *naves deerant; sed ut in d. c. ratio* cet. nihil mutandum esse certatim monuerunt interpretes. ad v. *ut in dubiis consiliis* supplendum est *fieri solet*. naves autem deerant, quum Agricola contra Ordovices proficiscens eas non paravisset; non enim necessariae erant. consilium vero insulae in potestatem redigendae expeditione feliciter peracta cepit.

1. *ducis transvexit*] B *ducis tranare extra depositis*.

2. *lectissimos auxiliarium*] Britannorum potius, quam quos Lipsius volebat Batavorum. Britannis nota sunt sua vada, Britanna vada minus Batavis, nisi circa illa loca aliquamdiu fuissent versati. quod Tacitus monuisset. Agricola c. 29 in exercitu suo habebat Britannos longa pace exploratos. id ipsum dolet Calgacus c. 32. PEERLKAMP. de Batavis v. Ann. 2, 8 et Hist. 4, 12. de Germanis Hist. 5, 14.

2. *patrius*] B *prius*.

3. *seque et arma et equos*] de concursu particularum *que — et — et* v. Passov. ad German. 46.

4. *navis*] sic A, vulgo *naves*; illa forma legitur etiam Ann. 2, 70. Hist. 2, 15.

5. *qui mare exspectabant*] Bipont. Engel. Schlüter. *respectabant*; Ritter. *spectabant*. sensum anaphorae optime explicavit Rothius; *mare* significat: *Bewegung des ganzen Meeres*.

5. *invictum*] i. quod vinci non posset, ἀνίκητον. v. Kort. et Kritz. ad Sallust. Iug. 76, 1.

6. *petita pace*] B *polita*.

7. *clarus ac magnus haberi*] sic Marius in Sallust. Iug. 92 *magnus et clarus antea, maior et clarior haberi coepit*.

8. *aut officiorum*] *et offic*. B.

ciorum ambitum transigunt, labor et periculum placuisset. nec Agricola prosperitate rerum in vanitatem usus expeditionem aut victoriam vocabat victos continuisse; ne laureatis quidem gesta prosecutus est. sed ipsa dissimulatione famae famam auxit aestimantibus, quanta futuri spe tam magna tacuisset.

19 Ceterum animorum provinciae prudens simulque doctus per aliena experimenta parum profici armis, si iniuriae sequerentur, causas bellorum statuit excidere. a se suisque orsus primam domum suam coercuit, quod plerisque haud minus arduum est, quam provinciam regere. nihil per

3. *ne laureatis prosecutus est*] B *nec.* intellige *litteris*, quas laurea ornatas (Plin. hist. nat. 15, 40 ib. Harduin.) Romam ad imperatorem senatumque mitteret. nam victoria de hostibus reportata tum litterae ad senatum missae, tum militum lanceae et pila lauri ramis involvebantur. Hist. 3, 77 *ipse lauream gestae prospere rei ad fratrem misit.* Liv. 5, 28 *litterae a Postumio laureatae sequuntur*, ubi v. interpretes.

5. *aestimantibus*] est dativus; v. Roth. p. 302.

8. *experimenta*] A *exempla*, in margine *experimenta.* Ann. 12, 14 *quia experimentis cognitum est barbaros malle Roma petere reges quam habere.* Dialog. 34 *eruditus et assuefactus alienis experimentis.*

8. *iniuriae*] B *incuriae.*

9. *excidere*] Aldus, Lipsius, alii *exscindere.* Rhenanus, qui in textu vulgatam habet, in castigationibus ait, „sive excidere pro recidere legas sive exscindere, parum refert.“ sed v. Menckenii observ. l. l. s. v. exscindo et Gernhard. ad Cicer. de senect. 6, 18.

9. *a se suisque orsus*] comparandus cum Tacito hic est Iuvenalis in sat. 8, 87 sq. in quibus eadem proconsulum vitia reprehenduntur. Peerlk. conferri possunt etiam praecepta Ciceronis ad Quintum fratrem epist. 1, 18.

10. *primam*] editt. Francof. Colon. I. Frid. Gronovius, Ryckius *primum.*

10. *coercuit*] P. 1, 2 *coerat*, Ven. *coerant*, Beroald. Alc. *coerceat;* lectio vulgata est a tacita Rhenani correctione; e codicibus nulla varietas enotata.

11. *nihil — publicae rei*] intelligendum esse *agere* iam viderat Rhenanus; lacunam expleverunt Bipontini, Engelius, Oberlinus, alii. de ellipsi v. Walch. ad h. l. et Bötticb. lexic. proleg. p. 85. sic etiam

libertos servosque publicae rei; non studiis privatis nec ex commendatione aut precibus centurionum milites ascire, sed optimum quemque fidissimum putare; omnia scire, non omnia exsequi; parvis peccatis veniam, magnis severitatem commodare, nec poena semper, sed saepius poenitentia contentus esse; officiis et administrationibus potius non peccaturos praeponere quam damnare, quum peccassent. fru-

Cic. Philipp. 1, 2 *nihil per senatum, multa et magna per populum, et absente populo et invito.*

1. *libertos*] A *liberos.* — mox Ven. *precipibus* pro *precibus.*

2. *centurionum milites ascire*] A *centurionem;* tum A et B *nescire* pro *ascire*, quod habent Puteolanus, Beroaldus, Alciatus, Rhenanus. alii *adscire* alii *accire* scripserunt. v. etiam Heynium ad Virg. Aen. 12, 38. Locum plane integrum Ernestius cum aliis tentat atque coniicit *expeditionum comites.* male; sermo est enim de re militari, non de disciplina domestica. primum dictum erat de severitate in familiam, tum de rei publicae negotiis; deinde scriptor ad rem militarem transit. loquitur autem de militibus adscriptivis s. supervacaneis *(Ersatzmannschaft)*, ex quibus ne alii in legionarios assumerentur nisi optimi, Agricola cavebat. v. Walch. ad h. l.

3. *fidissimum*] sic uterque codex; ex A iam receperunt Beckerus, alii. Puteolanus et reliqui *fidelissimum*, in quo molestam quandam tautologiam agnovit Doederl. in latin. synon. 5, 255.

3. *non omnia exsequi*] *exsequi* hic audit *punire, ulcisci*, qua significatione non utebantur Cicero eiusque aequales. Sueton. Iul. 67 *delicta neque observabat omnia neque pro modo exsequebatur.* Vespas. 14. Calig. 12. Liv. 3, 13.

4. *severitatem commodare*] zeugma in his verbis notavit Rothius p. 273.

6. *non peccaturos praeponere*] ita codices Vaticani; Ursini codex ordine inverso *praeponere potius non p.* illud receperunt Broterius, Ernestius et omnes recentiores. verbum *praeponere* desideratur in editionibus Puteolani, Alciati, Rhenani, Francof. et Colon., quarum in margine est „scilicet existimans sive ducens.“ Muretus facit cum codice Ursini, cuius tamen lectionem ignoravit. Gronovius scripsit *officiis et administrationibus imponere non pecc. quam d.* idemque verbum Gesnerus intelligendum esse censuit. Pichena voluit *praeficere*, quod Ursinus in alio libro scripto nescio quo se legisse affirmavit, atque aut hoc verbum aut simile deesse notatur in margine editionis Plantinae.

menti et tributorum auctionem aequalitate munerum mollire circumcisis, quae in quaestum reperta ipso tributo gravius tolerabantur. namque per ludibrium assidere clausis horreis et emere ultro frumenta ac vendere pretio cogebantur. devortia itinerum et longinquitas regionum indi-

1. *tributorum auctionem*] sic A in textu et in margine „al. *exactionem*," atque hoc vocabulum B habet in textu; in margine eiusdem codicis vulgatam lectionem exstare Broterius dicit, Clemens tacet. *auctionem* Puteolanus, Alciatus, Rhenanus, Berneg. Broter. alii. in castigationibus Rhenanus maluit *exactionem* idemque placuit Lipsio, Ernestio, Bipont., Oberl. aliis. utraque lectio defendi potest, sed eam retinui quae ab historia firmatur. *auctio* non est *venditio*, ut Heinsius explicat, sed tributa recenter a Vespasiano aucta intelliguntur. Sueton. Vespas. 16 *non enim contentus omissa sub Galba vectigalia revocasse, nova et gravia addidisse, auxisse tributa provinciis, nonnullis et duplicasse.* eadem de Vespasiano tradit Dio Cassius 66, 8 *πολλὰ δὲ καὶ τέλη τὰ μέν τινα ἐκλελειμμένα ἀνενεώσατο, τὰ δὲ καὶ νομιζόμενα προσεπηύξησε.* *munera* autem sunt ipsa vectigalia et tributa quae praestantur.

1. *aequalitate*] A *in aequalitatem* a Rothio et Bachio receptum; Muretus et Acidalius *aequitate*. Agricola munera aequaliter distribuit ut eorum auctio minus fieret molesta.

1. *munerum*] P. 1, 2, Ven. Beroaldus *numerum;* Alciatus ni fallor correxit.

2. *circumcisis quae*] sic A; B *circumcisisque in;* P. 1, 2, Ven. Ber. Alc. *circumcisis* (sive *circuncisis* ut est in Put. 2) *in quaestum reperta quae ipso;* Rhenanus relativum *quae* transposuit.

3. *namque per ludibrium*] Ven. *ludibrum.* — *Clausa horrea* sunt privata horrea provincialibus propria, quae pro arbitrio praefectorum vel publicanorum claudebantur. ita provinciales impediti suis ipsorum frumentis uti cogebantur frumenta ex Romanorum sive publicis horreis ultro emere. huc accessit quod sua frumenta pretio a Romanis constituto vendere debebant. — ceterum *ultro* numquam significat *insuper*, *noch obendrein*, ut Bachius explicavit; cfr. Roth. ad n. 1.

4. *vendere pretio*] uterque codex *ludere pretio;* Gronovius *vendere parvo*, Muretus *pendere pretium*, Virdungus *vendere praedia.*

5. *devortia*] A, Puteolanus, Ber. Alc. Rhenanus *divortia.* de horum verborum confusione et quid verum sit v. Drakenb. ad Liv. 1, 51, 8. Schaefer. ad Plin. epist. 1, 4, 3. Respicit autem Tacitus ad frumenti aestimationem, qua de re Cic. in Verr. 3, 82, 189 *haec aestimatio nata est initio non ex praetorum aut consulum sed ex aratorum*

cebatur, ut civitates proximis hibernis in remota et avia deferrent, donec, quod omnibus in promptu erat, paucis lucrosum fieret.

Haec primo statim anno comprimendo egregiam fa- 20
mam paci circumdedit, quae vel incuria vel intolerantia prio-
rum haud minus quam bellum timebatur. sed ubi aestas

atque civitatum commodo. nemo enim fuit initio tam impudens, qui, cum frumentum deberetur, pecuniam posceret. certe hoc ab aratore primum est profectum aut ab ea civitate, cui imperabatur: cum aut frumentum vendidisset aut servare vellet aut in eum locum, quo imperabatur, portare nollet, petivit in beneficii loco et gratiae, ut sibi pro frumento quanti frumentum esset dare liceret. ex huiusmodi principio atque ex liberalitate et accommodatione magistratuum consuetudo aestimationis introducta est. secuti sunt avariores magistratus, qui tamen in avaritia sua non solum viam quaestus invenerunt, verum etiam exitum ac rationem defensionis. instituerunt semper in ultima ac difficillima ad portandum loca frumentum imperare, ut vecturae difficultate ad quam vellent aestimationem pervenirent.

1. *proximis hibernis*] praepositionem *a*, quam codices omittunt, Puteolanus inseruit; sed ne oppositio quidem eam desiderare videtur.

2. *deferrent*] ita codices et omnes editiones veteres; *referrent* Ern. Bipont. Engel. Oberl., fortasse typothetarum errore, quem Seebodius correxit.

2. *donec — fieret*] frumentum omnibus et incolis et militibus in promptu erat ibi, ubi messes, ubi horrea aratorum, unde vero per ludibrium in remota transferre iubebantur suo damno, praefectorum aut publicanorum lucro. Oberl. de constructione particulae *donec* primum egi in ephemer. litter. Ienens. a. 1825 p. 267, tum in annotatione ad Dialog. p. 94.

4. *famam paci circumdedit*] Hist. 4, 11 *erantque in civitate adhuc turbida et novis sermonibus laeta, qui principatus inanem ei famam circumdarent.* Dialog. 37 *Catilina et Milo et Verres et Antonius hanc illi famam circumdederunt.* Peerlkamp comparavit Graecorum *περιβάλλεσθαι* et notavit Longini exemplum de sublim. 1, 3 *ταῖς ἑαυτῶν περιέβαλον εὐκλείαις τὸν αἰῶνα.*

5. *vel incuria vel intolerantia*] ita rescripsi ex utroque codice; in Puteolani et Alciati editionibus omissum est alterum *vel* et scriptum *incuria intolerantia;* Rhenanus in castigationibus emendavit *incuria vel tolerantia* atque haec erat lectio vulgata. *incuriae* bene opponitur *intolerantia*, quam Ta-

advenit, contracto exercitu multus in agmine laudare modestiam, disiectos coercere: loca castris ipse capere, aestuaria ac silvas ipse praetentare, et nihil interim apud hostes quietum pati, quo minus subitis excursibus popularetur,

citus iam supra (c. 16) notaverat. vocabulum autem eodem sensu Cicero usurpat p. Cluent. 40, 112 *quis eum cum illa superbia atque intolerantia ferre potuisset?* de re ipsa cfr. c. 30 *ubi solitudinem faciunt, pacem appellant.* Ann. 12, 33 *transfert bellum in Ordovicas additisque, qui pacem nostram metuebant, novissimum casum experitur.*

1. *multus in agmine*] ita B et codex Ursini; A teste Maggioranio *militum in agmine;* Puteolani editiones *multum in agmine: laudare* quod etiam Alciatus et Rhenanus dederunt eiecto tantum interpunctionis signo. in castigationibus Rhenanus proposuit *militum in agmine laudare modestiam*, quod receperunt Ernestius, Bipont. Oberl. alii. Broterius admisit quidem nostram lectionem, addere tamen mavult *militum* ante v. *laudare.* idem usum adiectivi *multus* exemplis firmavit; nunc adde Rothium p. 206. sic infra c. 37 *frequens ubique Agricola.* Ann. 14, 56 *rarus per urbem.* Sall. Iug. 84 *multus ac ferox instare.* porro comparandi sunt hi loci. Hist. 2, 5 (Vespasianus) *anteire agmen, locum castris capere.* Ann. 3, 9 *in agmine atque itinere crebro se militibus ostentare.* Sall. Iug. 45 (Metellus) *in agmine in primis modo, modo in postremis, saepe in medio adesse, ne quisquam ordine egrederetur.*

2. *disiectos coercere*] *disiecti* milites sunt dispersi, palantes, qui ab agmine discedunt. Caes. b. g. 3, 20 *hi nostros disiectos adorti proelium renovarunt.*

2. *ipse capere*] non aliis relinquebat. in loco castris capiendo magna pars laudis imperatoriae cernebatur. iam Plato commendabat mathematicam πρὸς τὰς στρατοπεδεύσεις καὶ καταλήψεις χωρίων [de republ. 7, p. 526 D]. Peerlkamp.

2. *aestuaria ac silvas*] haec sive de toto itinere intelligenda sunt sive de locis quibus castra positurus erat.

3. *praetentare*] A, Puteol. Alc. *praetemptare.*

3. *nihil — quietum pati*] fortasse imitatus est Sallustium in Iug. 66 *nihil intactum neque quietum pati.* ibid. c. 88 *nihil apud se remissum neque apud illos tutum pati.*

4. *popularetur*] i. Agricola, qui perpetuis incursionibus terram hostilem infestabat. de usu et significatione coniunctionis *quominus* v. Roth. p. 257. verti potest: *sondern durch plötzliche Streifzüge verheerte er (das feindliche Gebiet).*

atque ubi satis terruerat, parcendo rursus irritamenta pacis ostentare. quibus rebus multae civitates, quae in illum diem ex aequo egerant, datis obsidibus iram posuere et praesidiis castellisque circumdatae sunt tanta ratione curaque, ut nulla ante Britanniae nova pars illacessita transierit.

1. *irritamenta pacis ostentare*] Acidalius tentat *invitamenta*, quod Lipsio quoque placebat, sive etiam *imitamenta*. ingeniose utrumque. *invitamenta* quidem et *irritamenta* facile confunduntur, ut *invitare* et *irritare* saepe confusa scimus in libris. et *imitamenta pacis* bene opponerentur *terroribus*. sed et *irritamenta pacis* recte dicuntur ut opinor. nam *irritare* etiam in bonam partem dicitur et facilius ac saepius ex *irritare* factum est *invitare* quam contra. v. Drakenb. ad Liv. 1, 15 et quos ibi laudat. *irritamenta pacis* sunt res, quibus homines ad pacem alliciuntur. Ern. sic Quintil. instit. orat. 1, 1, 26 *non excludo autem, id quod est notum, irritandae ad discendum infantiae gratia eburneas etiam litterarum formas in lusum offerre.* Liv. 30, 11 *quod irritamentum certaminum equestrium est, cum aut vincentibus spes aut pulsis ira aggregat suos.*

3. *ex aequo egerant*] hoc est, qui nondum Romanis subiecti sed liberi et sui iuris erant. nam *ex aeq. agere* sive *vivere* ut Plinius loquitur est *auf gleichem Fusse mit jemandem leben, unabhängig sein.* Histor. 4, 64 *sincerus et integer et servitutis oblitus populus aut ex aequo agetis aut aliis imperabitis.* Liv. 7, 30 *qui ex aequo nos venisse in amicitiam meminissemus.* v. Rhenani thesaur. locut. p. 44.

3. *iram posuere*] Horat. epist. ad Pisones 159 *et iram colligit ac ponit temere.* *ira* autem h. l. non est *Zorn*, sed *wilder, feindseliger Sinn*, ferocia, itaque non est cur Peerlkampius malit *arma* pro *iram*, neque *ex aequo agere* lenius est dictum, ut Ernestius putabat, quam pro eo quod opponitur *iram posuere.*

4. *circumdatae — transierit*] B, Puteol. Alc. *et tanta ratione;* in codice A teste Maggioranio particula non exstat, quam primus omisit Rhenanus, nuper Walchius et Bachius revocarunt. totus locus etiamnunc corruptus esse mihi videtur atque omnium interpretationum quotquot sunt propositae nulla mihi ab omni parte probari potest. ad illas correctiones, quas ego olim enumeravi et postea Waltherus, plures novae accesserunt, sed eas transscribere longum est. de sententia pauca tantum monebo. *ut* est coniunctio et referendum ad v. *tanta* cuius eventum indicat. *ante* cum quo vocabulo sit coniungendum nescio; sed fortasse corruptum aut non suo loco positum est. de significatione verbi *transire* dubius haereo; maxime mihi placet Rothii interpretatio qua significet

21 Sequens hiems saluberrimis consiliis absumpta. namque ut homines dispersi ac rudes eoque in bello faciles quieti et otio per voluptates adsuescerent, hortari privatim, adiuvare publice, ut templa, fora, domus exstruerent, laudando promptos et castigando segnes. ita honoris aemulatio pro necessitate erat. iam vero principum filios liberalibus artibus erudire et ingenia Britannorum studiis Gallorum anteferre, ut, qui modo linguam Romanam abnuebant, eloquentiam concupiscerent. inde etiam habitus nostri honor et frequens toga, paullatimque discessum ad dele-

tramitti, manere. denique ad v. *illacessita* non est supplendum *tam*, nam nulla est comparatio, sed potius *a Romanis* qui crebras eruptiones e castellis faciebant atque agros novarum gentium vastabant. v. quae c. 22 narrantur. igitur verterim: *mit solcher Einsicht und Sorgfalt, dass kein früher unbekannter Theil Britanniens unangegriffen blieb.*

2. *dispersi*] habitabant enim ut Germani discreti ac diversi.

2. *in bella faciles*] *in bello* uterque codex et libri editi ante Rhenanum. hic in castigationibus ad hunc locum et in thesauro locutionum p. 1 coniecit *eoque in bellum faciles* sive *eoque bello faciles* atque hoc alterum et ipse in textu scripsit et plerique receperunt. ego in prima editione codicum et editionum principum lectionem revocaveram, sed male. dici quidem potest *facilis in bello*, sed non eo sensu quem oppositio postulat. igitur emendatione faciliore nunc scripsi *in bella*, quod Walchio teste Bosius proposuit et Peerlkampius, Imm. Bekkerus, alii aut receperunt aut commendarunt.

3. *hortari*] Put. 2, Ven. Alc. *hortare.* Rhenanus tacite correxit.

5. *promptos — segnes*] de significatione horum adiectivorum v. Doederl. de synon. 4, 215.

8. *abnuebant*] poterat scribere Tacitus, quod Ernestius coniecit, *abnuerent* sive *abnuerant;* sed illud etiam rectum esse ipse v. d. sensit.

10. *discessum*] non *descensum*, quod Pichena mavult; discesserunt enim a patrum moribus ad vitia, quae admodum varia sunt.

10. *delenimenta*] (non *delinimenta*, v. Rupert. ad. Liv. 4, 51) illecebrae et blanditiae, res quibus hominum animi blande paulatim capiuntur (v. Ducker. ad Liv. 39, 21), vel *θέλγητρον*, *θέλγμα*, res et remedium, quo animi leniuntur et permulcentur et mitigantur, ut Ann. 15, 63 *vitae delenimenta monstraveram tibi, tu mortis decus mavis.* ceterum inter artes Roma-

nimenta vitiorum, porticus et balnea et conviviorum elegantiam, idque apud imperitos humanitas vocabatur, quum pars servitutis esset.

Tertius expeditionum annus novas gentes aperuit 22
vastatis usque ad Taum (aestuario nomen est) nationibus. qua formidine territi hostes quamquam conflictatum saevis tempestatibus exercitum lacessere non ausi, ponendisque insuper castellis spatium fuit. annotabant periti non alium ducem opportunitates locorum sapientius legisse: nullum ab Agricola positum castellum aut vi hostium expugnatum aut

norum erat vires hominum mollire deliciisque et voluptatibus frangere. Hist. 4, 64 *abruptis voluptatibus, quibus Romani plus adversus subiectos quam armis valent.*

1. *balnea*] quantum mutati ab illis, ad quos Baudovica orationem habuit! Dio Cassius in Nerone (62) cap. 6 *εἴ γε καὶ ἄνδρας χρὴ καλεῖν ἀνθρώπους ὕδατι θερμῷ λουομένους.* regina Romanos propterea ne viros quidem existimabat. PEERLKAMP.

3. *pars servitutis*] Lipsius ad unam editionum suarum, quales nonnullae sunt in bibliotheca academiae nostrae, unde ego progressus tanti ingenii non sine tacita admiratione perspexi, annotavit *ars.* coniecturam, quantum nunc sciam, non edidit. amplius cogitanti forte non placuit. hic tamen non praetermittendam iudicavi. PEERLKAMP.

4. *novas gentes aperuit*] Hist. 2, 17 *aperuerat iam Italiam bellumque transmiserat — ala Silana.* Germ. 1 *nuper cognitis quibusdam gentibus ac regibus quos bellum aperuit* ad quem locum cfr. Passovium. de prosopopoeia v. Boettich. lex. proleg. p. 99.

5. *vastatis — nationibus*] *vastari* non solum loca dicuntur sed etiam populi, hostes. Ann. 14, 38 *quodque nationum ambiguum aut adversum fuerat, igni atque ferro vastatur.* 15, 1 *Tigranes Adiabenos conterminam nationem latius ac diutius quam per latrocinia vastaverat.* plura v. in Böttich. proleg. p. 100. Peerlkamp annotavit Oudendorpium ad Frontini strateg. 1, 6, 2 hanc locutionem raram vocasse. eius originem monstravit Zumptius gr. l. § 680.

5. *Taum*] ita A in textu, in margine „Taus sive Tanaus;" B *Tanaum.* est idem aestuarium quod a Ptolemaeo vocatur *Δαούα*, hodie firth of Tay. cfr. Mannerti Britannia p. 62 et 200.

8. *castellis*] cod. Ursini *telis.*

10. *aut vi*] Ven. *vim.*

pactione ac fuga desertum. crebrae eruptiones; nam adversus moras obsidionis annuis copiis firmabantur. ita intrepida ibi hiems et sibi quisque praesidio, irritis hostibus eoque desperantibus, quia soliti plerumque damna aestatis hibernis eventibus pensare tum aestate atque hieme iuxta pellebantur. nec Agricola umquam per alios gesta avidus intercepit: seu centurio seu praefectus incorruptum facti testem habebat. apud quosdam acerbior in conviciis nar-

1. *ac fuga*] B *aut fuga* et ita, sed operarum errore Oberl. Weikert. Naudet. Weisius.

1. *crebrae eruptiones*] quae et per aestatem et per hiemem fiebant, quod ex sequentibus patet; nam hostes aestate atque hieme iuxta pellebantur.

2. *annuis copiis firmabantur*] Engelius annuas copias accipit pro ipsis militibus, qui mutabantur quotannis, ut fessis et numero imminutis integrae et plenae cohortes succederent. equidem vereor, ut *annuus* hanc vim habeat; certe nullum exemplum ad manus est. quare annuas copias accipio pro frumento, commeatu, qui in annum comparatus erat. Hist. 4, 22 *sed parum provisum, ut copiae in castra conveherentur.* et sic saepe iam Caesar. ab Hertelio laudatus est Herzogius ad b. g. 1, 31.

3. *irritis hostibus*] irrita dicitur res quae non rata est, vana, effectu carens. tum homo dicitur irritus alicuius rei qui aliquid frustra et sine effectu egit. Hist. 4, 32 *ille ut irritus legationis redit cetera dissimulans quae mox erupere.* deinique absolute dicitur. Ann. 15, 7 *legati Vologesis — revertere irriti.* 15, 25 *irriti remittuntur.*

5. *pensare*] pro composito compensare vel rependere; v. Roth. p. 164.

6. *pellebantur*] Ven. *pellabantur.*

6. *avidus intercepit*] B *avidius.* — ποιητικώτερον additum est *avidus* i. e. per aviditatem laudis et gloriae. Ern. idem Marius de se praedicat apud Sallust. Iug. 85 *neque gloriam meam laborem illorum faciam.* de usu adiectivi cfr. Zumpt. § 682.

7. *seu centurio — habebat*] nescio cur Waltherus meam aliorumque distinguendi rationem vituperaverit quum post v. *praefectus* suppleret *est.* sensus est: *jeder, Centurio oder Präfect, hatte an Agricola einen unparteiischen Zeugen seiner That.*

8. *apud quosdam*] de usu praepositionis v. Hand. Tursell. 1, 409. Roth. p. 241. sic Ann. 1, 9 *at apud prudentes vita eius varie extollebatur arguebaturve.*

rabatur; ut erat comis bonis, ita adversus malos iniucundus. ceterum ex iracundia nihil supererat; secretum et silentium eius non timeres. honestius putabat offendere quam odisse.

Quarta aestas obtinendis quae percurrerat insumpta, 23
ac si virtus exercituum et Romani nominis gloria pateretur, inventus in ipsa Britannia terminus. nam Clota et

1. *ut erat comis bonis*] sic uterque codex; ordine inverso *bonis comis* Puteol. Alc.; *erat* primum a Rhenano deinde a reliquis editoribus omissum est; cum Broterio restitui.

1. *adversus malos iniucundus*] posuit pro iracundus, asper, molliendi caussa, ut Cic. ad Attic. 1, 20 coniunxit *asperius atque iniucundius*. Ern.

2. *secretum et silentium*] uterque codex *ut* pro *et*, quod Beckerus, Hertelius, Bachius in textum receperunt. sed comparationi quae illa particula continetur hic nullus est locus, quia secretum et silentium inter se cognata sunt. igitur *et* retinui neque tamen in his verbis ἓν διὰ δυοῖν agnosco, ut Böttcherus, qui in lexico p. 420 vertit *geheimnissvolle Zurückgezogenheit.* secretum cum Rothio intelligo de secretis colloquiis (*Privatunterredungen*, *Privataudienz*) et silentium refero ad publicas salutationes. Ann. 3, 8 *haec palam* (Drusus Pisoni respondit) *et vitato omni secreto.* Ann. 11, 30 *exin Calpurnia, ubi datum secretum, Caesaris genibus provoluta.* Hist. 4, 49 *incertum, quoniam secreto eorum nemo adfuit.*

3. *timeres*] cfr. Zumpt. § 528. Hist. 2, 62 *prorsus, si luxuriae temperaret, avaritiam non timeres.* 1, 10 *palam laudares.*

5. *obtinendis*] *obtinuit* est, quae celeri quodam virtutis ac victoriae cursu obierat, subegerat, occuparat, eorum annuae morae continua possessione, administratione, usurpatione ius populi romani fundavit: in eis tenendis obduravit obfirmavitque sese atque ostendit, non se, ut praedam aut gloriolam peteret, sed ea possessurum venisse ac nec relinquere neque eripi sibi velle. v. ad Liv. 3, 36. Gronov.

5. *percurrerat*] P. 1, 2, Ven. Alc. *praecurrerat;* Ernestius nescio in qua legit *praecucurrerat.* Rhenanus tacite correxit *percurrerat*, quod exinde vulgabatur et omnino rectius est. de confusione praepositionum *prae* et *per* in compositione vide si tanti est Drakenb. ad Sil. Ital. 6, 43.

6. *si — pateretur, inventus*] dupliciter supplendum est annotante Hertelio, si virtus exercituum et r. n. gl. pateretur terminum inveniri, terminus inventus erat.

7. *nam*] B *namque.*

7. *Clota*] sic codices et Puteo-

Bodotria, diversi maris aestibus per immensum revectae, angusto terrarum spatio dirimuntur, quod tum praesidiis firmabatur; atque omnis propior sinus tenebatur, summotis velut in aliam insulam hostibus.

24 Quinto expeditionum anno nave prima transgressus
6 ignotas ad id tempus gentes crebris simul ac prosperis proeliis domuit eamque partem Britanniae, quae Hiberniam adspicit, copiis instruxit, in spem magis quam ob formidinem, si quidem Hibernia medio inter Britanniam atque

Ianus; *Glota* Beroald. Alc. Rhen. alii; apud Ptolemaeum 2, 3 *Κλώτα εἴσχυσις* et *Βωδερία*, nunc frith of Clyde et frith of Forth. v. Mannert. Britan. p. 199 et 204. angustum inter utrumque flumen spatium octo fere miliaria germanica et dimidium complectitur.

1. *diversi maris aestibus p. i. revectae*] ita codices (lectionem cod. A *diversis* Maggiorani non commemoravit) et editiones veteres; Rhenanus tacite edidit *aestus p. i. revecti;* Lipsius emendavit *aestu;* Broterius atque Ernestius veterem lectionem revocarunt. „Aestus contrarii maris vi sua fecere, ut aestuaria Clota et Bodotria quam longissime se insinuaverint in continentem et vix angustum isthmum reliquerint.“ Ernest. *revectae* autem est in terram vectae, actae, non ut Gronovius voluit, repulsae, retroactae.

3. *sinus*] est ora ipsa maritima, terra circa sinum iacens; v. Bötticb. lex. p. 431.

5. *nave prima*] Huetius coniecit *navibus tum primum*, de la Bletterie *gnave transgressus*, Beckerus *vere primo*, Peerlkamp *aestate prima*, et quia Tacitus sic numerat annos, quos Agricola ibi fuit, per aestates, v. c. 20. 23. 25, et quia aestas unicum fere apud veteres belli gerendi tempus. sed nihil mutandum esse puto. adiectivum *prima* pro adverbio positum esse constat. cur autem Agricola nave transgredi maluerit, quum iter terra pateret, quaeri non debet; neque fuit classis quae sexto demum anno ab eo assumpta est in partem virium, sed ego navigia vectoria intelligo quibus milites transportabantur, ut loquitur Pompeius apud Ciceronem epist. ad Attic. 8, 12, A, 3.

6. *ignotas — gentes*] eas quae in ora Scotiae occidentali habitabant.

8. *in spem*] i. Hiberniae potiundae; Lipsius frustra tentavit *in speciem.*

8. *ob formidinem*] B *in formidinem* quod ferri nequit. Agricola enim non tam metuebat, ne Hiberni fretum traiicientes Britannis auxilio venirent ipsumque aggrederentur.

9. *medio — sita*] bene monet Pichena *medio sitam* non esse ae-

Hispaniam sita et Gallico quoque mari opportuna valentissimam imperii partem magnis invicem usibus miscuerit. spatium eius, si Britanniae comparetur, angustius, nostri maris insulas superat. solum coelumque et ingenia cultusque hominum haud multum a Britannia differunt in melius.

quo distantem a Britannia et Hispania. *media* sunt interiecta quaevis. omninoque hic *medio* per pleonasmum additum est. Ern. exempla omissae praepositionis iam Rhenanus cumulavit in thesauro locut. p. 34 sq. sed diversa miscuit. Hist. 3, 16 *diductis in latera turmis vacuum medio relinquit iter.* 3, 19 *posse coloniam plano sitam impetu capi.* ad quem l. v. Ernestium.

1. *valentissimam imp. partem*] Hibernia, medio inter Britanniam atque Hispaniam sita et Gallico quoque mari opportuna, valentissimam imperii partem, Hispaniam scilicet, Galliam et Britanniam magnis invicem usibus per commercia coniunxit. hac aetate, qua rudis adhuc erat ars nautica, iis commerciis opportunissima erat Hibernia. Broter.

2. *miscuerit*] de potestate subiunctivi v. Rothium.

3. *spatium eius — angustius*] Isidorus etymolog. 14, 6 *Hibernia proxima Britanniae insula spatio terrarum angustior sed situ fecundior.* Isidori verba in suum usum convertit Vincentius Bellovac. speculo natur. 33, 16.

3. *nostri maris*] i. mediterranei. Peerlkamp laudavit Davis. ad Caesar. b. g. 5, 1. Kortium ad Sallust. Iug. 18.

5. *differunt in melius. aditus*] libellus in cuius margine Maggioranius lectiones cod. A transscripsit sic habet: *differunt: melius aditus* atque ad haec verba nihil varietatis annotatum est; ex qua re colligere possumus codicem cum libro impresso congruere. in altero codice scriptum est *differt In melius aditus* et sic habent editiones principes, nisi quod *in* littera minuta est scriptum. Puteolanus in prima et secunda editione omisit interpunctionis signum; in Veneta post *differt* punctum posuit, Alciatus comma. Rhenanus in contextu scripsit *differunt. melius aditus*, in castigationibus emendavit *differunt. eius* (i. insulae) *aditus*. Muretus primus correxit quod nunc scripsimus. alii aliter locum emendabant. numerus singularis *differt* quem olim praetuli est contra rationem grammaticam. nam eorum locorum, ubi post plura substantiva verbum ad proximum applicatur, alia est ratio atque huius loci. maiores quam hoc verbum difficultates afferunt vocabula *melius* aut *in melius*. quod si codicem A sequamur, quaeritur, cuiusnam insulae aditus portusque minus cogniti fuerint? num Britanniae? at hoc non est verum, neque Tacitus ante de portubus Britanniae locutus est. itaque quum in his verbis comparationi nullus sit locus, altera

aditus portusque per commercia et negotiatores cogniti. Agricola expulsum seditione domestica unum ex regulis gentis exceperat ac specie amicitiae in occasionem retinebat. saepe ex eo audivi legione una et modicis auxiliis debellari obtinerique Hiberniam posse, idque etiam adversus Britanniam profuturum, si Romana ubique arma et velut e conspectu libertas tolleretur.

25 Ceterum aestate, qua sextum officii annum inchoabat, amplexus civitates trans Bodotriam sitas, quia motus uni-

lectio *in melius* recipienda fuit eaque verba coniungenda sunt cum verbo *differunt*. dici autem posse *differre in melius* neque hanc dictionem esse inauditam ut Walchio aliisque visum est, in prima editione demonstravi hisce exemplis quae sunt eiusdem generis. Ann. 2, 82 *cunctaque ut ex longinquo aucta in deterius adferebantur*. 14, 39 *cuncta tamen ad imperatorem in mollius relata*. Hist. 3, 7 *desiderata diu res in maius accipitur*. 3, 13 *atque omnia de Vitellio in deterius*. 3, 38 *cetera in maius* (nuntiabantur). Hist. 4, 68 *at Romae cuncta in deterius audita*. de re quidem ipsa historiarum scriptores dissentiunt, sed hoc parum refert. quae a Strabone 4, 5, 4 de Hiberniae incolis traduntur, in his se testibus destitutum esse auctor ipse affirmat; *καὶ ταῦτα δ' οὕτω λέγομεν*, ait, *ὡς οὐκ ἔχοντες ἀξιοπίστους μάρτυρας*. inconditos fuisse cultores etiam Pomponius Mela 3, 6 narrat; idem de soli fecunditate cum aliis consentit. v. Isidori locum supra laudatum. Oros. hist. 1, 3 *haec* (Hibernia) *propior Britanniae, spatio terrarum angustior, sed coeli solique temperie magis utilis*. igitur donec meliora proferantur, acquiescendum est in hac lectione quam Rothius p. 224 sq. egregie tuitus atque interpretatus est. sed ut quod sentio addam, vocabula *in melius* delenda esse censeo quippe quae interpretem redoleant.

1. *per commercia*] B *et commercia*.

4. *audivi*] Bipont. *audivit* qui operarum error Peerlkampio placuit, quum regulus ille melius ea sciret quam Agricola. at pronomen *eo* non est referendum ad Agricolam, sed ad illum regulum, et recte ex his verbis colligitur Tacitum ipsum fuisse in Britannia.

9. *amplexus*] sic uterque codex, Broter. Bipont. Engel. Oberl. recentiores. *amplas* Put. 1, 2, Ven. Alc. Rhen. alii. Lipsius *ampla civitate — sita;* Gronovius *amplae civitatis — sitae;* Ernestius aut post *sitas* aut ante *amplas* aliquid excidisse putavit de exercitu terrestri. *amplecti* aut eandem habet significationem quam Ann. 4, 42

versarum ultra gentium et infesta hostilis exercitus itinera timebantur, portus classe exploravit, quae ab Agricola primum assumpta in partem virium sequebatur egregia specie, quum simul terra, simul mari bellum impelleretur, ac saepe iisdem castris pedes equesque et nauticus miles mixti copiis et lae-

Caesar obiectam sibi adversus reos inclementiam eo pervicacius amplexus. Ann. 6, 8 *nam ea tempestate qua Seiani amicitiam ceteri falso exuerant, ausus est eques Romanus M. Terentius ob id reus amplecti.* Ann. 15, 59 *quanto laudabilius periturum, dum amplectitur rem publicam.* aut supplendum est *bello* ut c. 17 loquitur Tacitus. participii autem perfecti pro participio praesentis positi exempla post alios collegit Boettich. lex. p. 338.

1. *infesta hostilis exercitus itinera*] sic A et B, codex Ursini et editiones principes ante Rhenanum, qui tacite scripsit *hostili exercitu*, exinde vulgatum. Beckerus pro *host. exerc.* dedit *hostibus.* Peerlkamp, qui tamen maluit *hostili exercitui*, Hertelius, Waltherus, Bachius lectionem codicum admiserunt. equidem etiamnunc adiectivum *infectus* intelligo sensu activo, non passivo. motus enim et infesti hostium impetus timebantur.

2. *timebantur*] B *timebant.*

2. *portus*] Rhenanus coniecit *prius.*

3. *in partem virium*] similes formulae Ann. 1, 11 *se in partem curarum ab illo vocatum.* Histor. 4, 26 *additus Voculae in partem curarum Herennius Gallus legatus.* Liv. 10, 10, *sed nulla alia mercede, quam ut in partem agri accipiantur.* v. Hand. Tursell. 3, 327.

4. *impelleretur*] uterque codex et libri veteres *impellitur*, quod Rhenanus in castigationibus propter verba *attollerent*, *compararent* bene correxit. nuper Waltherus et Bachius *impellitur* receperunt et defendere conati sunt, sed frustra. nam illa linguae graecae proprietas ad quam provocant et de qua loquitur Matthiaeus § 529, 5, alius est generis neque ullo modo comparari potest. Ernestius coniecit *inferretur* sive *impingeretur*, quum ipsi genus loquendi non esset cognitum. at Bipontini ex Lucano 5, 330 firmarunt dictionem *bellum impellere* quod est inferre. ita et *arma impellere* dici ex eodem poeta docuit Heinsius ad Silium 12, 15 et ad responsionem Ulixis ad Penelopen v. 68. Lucan. 7, 16 *et quaecunque fugax Sertorius impulit arma.* Ovid. metamorph. 12, 551 *inque meos ferrum flammamque penates impulit.* Engelius hoc verbum interpretatur *incedere* et referendum esse monet praecipue ad classem, quae remis ac vento impelleretur; sed hoc exquisitius.

5. *mixti copiis et laetitia*] ego cum aliis interpretibus in his verbis syllepsin agnosco et copias intelligo de variis militum generi-

titia sua quisque facta, suos casus attollerent, ac modo silvarum et montium profunda, modo tempestatum ac fluctuum adversa, hinc terra et hostis, hinc victus oceanus militari iactantia compararentur. Britannos quoque, ut ex captivis audiebatur, visa classis obstupefaciebat, tamquam aperto maris sui secreto ultimum victis perfugium clauderetur. ad manus et arma conversi Caledoniam incolentes populi paratu magno, maiore fama, uti mos est de ignotis, oppugnasse ultro, castella adorti, metum ut provocantes addi-

bus; *durcheinander gemischt in fröhlichen Schaaren.* alii ut Walchius, Waltherus, Rothius intelligunt commeatus, *Mundvorräthe;* Walchius vertit *bei heiterm Mahle verbunden.*

1. *attollerent*] i. extollerent v. Ernest. ad Ann. 15, 30.

2. *et montium*] A *ac montium*, receptum a Beckero, Peerlkampio, Hertelio, Rothio, Bachio. sed repetitio particulae molesta videtur.

3. *hinc — hinc*] v. de hac formula Hand. Tursell. 3, 87.

3. *victus oceanus*] sic in utroque codice scriptum idemque Pichena coniecit, quem secuti Walchius et Imm. Bekkerus id receperunt. Puteolanus scripsit *auctus oceanus* quod a reliquis editum est et varie explicatur. quodsi quis Puteolani lectionem retinere malit, is cogitet aestum, fluctus, tempestates. nam Lipsii interpretatio quam etiam ego laudaveram coacta est.

6. *ad manus et arma*] synonyma iunxit. sic Hist. 3, 10 *ubi — ad tela et manus transibant.* 3, 20 *ut — armis ac manu victoriam iuverit.* infra c. 33 *sed manus et arma et in his omnia.* Liv. 25, 6. 22, 9.

7. *Caledoniam*] A, Put. 1, 2, Ven. Alc. *Calidoniam.*

8. *uti mos est de ignotis*] uti fama solet de ignotis praedicare omniaque augere.

8. *oppugnasse ultro*] primus in hoc loco offendit Rhenanus, qui in castigationibus correxit *oppugnare*, et ita codex Ursini, editt. Francof. Colon. Bipont. Engelius, alii. Lipsius vel idem vel *oppugnantes* vel *oppugnavere* suspicabatur; alii verbum prorsus reiecerunt. *oppugnasse* recte interpretatus est Pichena; pendet enim a *fama.* rumor erat hostes ultro oppugnasse, quum castella adorti essent. „*Die Caledonier haben die Offensive ergriffen, während sie allerdings Waffenplätze berannt hatten, aber nichts weiter.*“ ROTH.

9. *castella*] A *castella* (*um* written above), unde Beckerus et Hertelius scripserunt *castellum* supplendo *quoddam.*

9. *adorti*] Bipont. Engel. Schlü-

derant; regrediendumque citra Bodotriam et excedendum potius quam pellerentur, ignavi specie prudentium admonebant, quum interim cognoscit hostes pluribus agminibus irrupturos. ac ne superante numero et peritia locorum circumiretur, diviso et ipse in tres partes exercitu incessit. quod ubi cognitum hosti, mutato repente consilio universi 26
nonam legionem ut maxime invalidam nocte aggressi inter somnum ac trepidationem caesis vigilibus irrupere. iamque in ipsis castris pugnabatur, quum Agricola iter hostium ab exploratoribus edoctus et vestigiis insecutus velocissi-

ter. *adorsi.* Nepos Thrasyb. 2, 5 *hanc* (Munychiam) *bis tyranni oppugnare sunt adorti.* Virgil. Aen. 6, 397 *hi dominam Ditis thalamo deducere adorti.* Curtius 3, 1, 6 *oppugnare adortus.* v. Drakenb. ad Liv. 35, 51, 8.

2. *ignavi specie prudentium admonebant*] ita B, non A, in quo quantum ex silentio Maggioranii colligo scriptum videtur *specie prudentium ignavi admonebant.* Put. 1, 2, Ven. Alc. *specie ignavi prudentium admonebat* et Rhenanus quoque in textu edit. Basil. a. 1533 nihil mutavit, in castigationibus tantum interpretatur, „specie referendum est ad genitivum prudentium.“ nescio quis primus transposuerit *ignavi* ante *admonebant*, quem verborum ordinem primum vidi in edit. Francofurt. a. 1542 et Colon., servatum deinde usque ad Broterium; hic ex altero codice ut ipse refert vulgatam restituit eumque et nos et recentiorum plerique secuti sumus.

3. *quum interim*] in prima editione locum scripsi: *admonebant. At quum — irrupturos, ne superante* cet., sed nescio unde. fortasse ita habet Seebodii textus quem typis describendum curavi. Beckerus, Peerlkamp, Hertelius male me secuti sunt atque in eandem vituperationem mecum inciderunt.

3. *irrupturos. ac*] in B sine interpunctione.

4. *numero et peritia locorum*] non est ἓν διὰ δυοῖν, sed hostes et numero superabant Romanum exercitum et locorum magis periti erant.

4. *circumiretur*] Lipsius *circumirentur.* — pro *diviso* Venet. *divisio.*

8. *caesis*] Put. 1 *caesas.*

9. *pugnabatur*] e cod. A receperunt Beckerus, Peerlkamp, Hertelius, alii. B et Puteolanus *pugnabant* quod reliqui servarunt.

9. *iter*] Ven. *inter.*

10. *vestigiis insecutus*] i. hostes. Rothius laudavit Liv. 6, 32 *et cum Romanus exercitus prope vestigiis*

mos equitum peditumque assultare tergis pugnantium iubet, mox ab universis adiici clamorem. et propinqua luce fulsere signa. ita ancipiti malo territi Britanni, et Romanis redit animus ac securi pro salute de gloria certabant. ultro quin etiam erupere, et fuit atrox in ipsis portarum angustiis proelium, donec pulsi hostes, utroque exercitu certante, his ut tulisse opem, illis ne eguisse auxilio viderentur. quod nisi paludes et silvae fugientes texissent, debel-
27 latum illa victoria foret. cuius conscientia ac fama ferox exercitus nihil virtuti suae invium; penetrandam Caledoniam inveniendumque tandem Britanniae terminum continuo

sequeretur. 9, 45 *pergunt hostem vestigiis sequi.*

1. *assultare tergis*] Ann. 2, 13 *tertia ferme vigilia assultatum est castris sine coniectu teli.* 12, 35. 13, 40. Hist. 1, 79 *Romanus miles facilis lorica et missili pilo aut lanceis assultans.*

4. *securi pro salute de gloria certabant*] sic A et B et omnes editiones veteres. Acidalius praepositionibus transpositis *de salute pro gloria*, quod cum aliis etiam ego praetuli, sed nulla ratione. Histor. 4, 58 *numquam apud vos verba feci aut pro vobis sollicitior aut pro me securior.* dictio autem *certare de aliqua re* satis nota est. vid. c. 5.

5. *quin etiam erupere*] sic A et B; Puteolanus edidit *irrupere.* utrumque recte dici potest; sed Romani, ut puto, e castris erumpere conabantur, non in hostium ordines irrumpebant. iam enim pugnabatur.

7. *his ut tulisse*] A *his intulisse*, quod Rothius recepit. ego non credo *certare* cum infinitivo iungi posse, quum significat pugnare. apud Plinium panegyr. 81 aliam habet significationem.

8. *texissent*] B *rexissent.*

9. *cuius conscientia*] ita scribendum esse censui ex utroque codice, id quod iam Lipsio in mentem venerat et Pichenae, Acidalio, Ernestio, aliis placuit et ab omnibus fere recentioribus receptum est. reliquae editiones inde a Puteolano *constantia.* Gronovii eruditionem in explicanda dictione profusam esse merito doluit Oberlinus, neque tamen ipse, neque alii interpretes meliora docuerunt. qua enim ratione *victoriae constantia* aut quomodo *victoria recens reportata* dici possit *constans*, nondum intelleximus. Walchii autem et Waltheri explicationes mihi perversae esse videntur; illius interpretatio haec est: *durch dessen dauernden, gleichbleibenden, folglich (!) überall hin verbreiteten Ruf.*

10. *penetrandam*] A teste Brote-

proeliorum cursu fremebant. atque illi modo cauti ac sapientes, prompti post eventum ac magniloqui erant. iniquissima haec bellorum conditio est: prospera omnes sibi vindicant, adversa uni imputantur. at Britanni non virtute sed occasione et arte ducis rati, nihil ex arrogantia remittere, quo minus iuventutem armarent, coniuges ac

rio *et penet.*, Maggioranius silet. B *et penetrandum Caledoniam* qua de constructione vide nunc Madvig. opusc. acad. p. 381. sed forsitan haec lectio ita corrigi possit ut scribamus *et penetrandum in Caledoniam;* nam *penetrare aliquid* Tacitus dixit sensu translato, quare nunc recte scribitur Histor. 4, 7 *ut in cuiusque vitam famamque penetrarent.* sed etiam infra c. 34 dixit *silvas saltusque penetrare.* part. *et* quae orationem concitatam turbat receperunt Beck. Peerlk. Hertel. Roth. Bach.

1. *proeliorum*] Put. 1, 2, Ven. Alc. *proelium;* Rhenanus tacite correxit.

1. *fremebant*] Hist. 2, 44 *praetorianus miles non virtute se sed proditione victum fremebat.* 2, 69 *frementibus auxiliis tantum impunitatis atque arrogantiae legionariis accessisse.*

1. *atque illi — sapientes*] qui specie prudentium admonuerant regrediendum esse cet. c. 25.

4. *vindicant*] Alc. *vendic.*

4. *uni imputantur*] ita uterque codex et Rhenanus ex coniectura pro *cum imput.*, quod legitur in editionibus Puteolani, Beroaldi, Alciati. Beckerus scripsit *duci* quod Rothius recepit. sed oppositum est voc. *omnes*, non *milites.* Rhenanus cum hac sententia gravissima eademque verissima comparavit exemplum Herennii Galli a militibus, quos Germani profligaverant, verberati Hist. 4, 27 *victi, quod tum in morem verterat, non suam ignaviam sed perfidiam legati culpabant.* similem sententiam habet Sallust. Iug. 53 extr. *quippe res humanae ita sese habent: in victoria vel ignavis gloriari licet; advorsae res etiam bonos detrectant.*

4. *non virtute — ducis rati*] locus corruptus quem etiam codices ita exhibent. Rhenanus proposuit *arte ducis irati*; Lipsius vel *arte ducis victos rati* vel *non ut virtute sed occasione et arte ducis superati;* Pichena *arte victos rati;* Freinshemius *non virtutem sed occasionem et artem ducis rati*, quae correctio facillima est, quum littera *m*, quae per compendium lineola depingi soleat, facile scribarum culpa elabi potuerit. auctor suam coniecturam firmavit Ann. 2, 11 *dare in discrimen legiones haud imperatorium ratus*, et Ann. 3, 20 *illam obsidionem flagitii ratus.* alii aliis modis corruptelam mederi conantur. ab ellipsi, quae a Doederleinio et Sellingio proposita est, equidem plane abhorreo; verbum

liberos in loca tuta transferrent, coetibus ac sacrificiis conspirationem civitatum sancirent. atque ita irritatis utrimque animis discessum.

28 Eadem aestate cohors Usipiorum per Germanias conscripta et in Britanniam transmissa magnum ac memorabile facinus ausa est. occiso centurione ac militibus, qui ad tradendam disciplinam immixti manipulis exemplum et rectores habebantur, tres liburnicas adactis per vim gubernatoribus adscendere, et uno remigante, suspectis duobus

victos aut excidit aut pro voc. *ducis* scribendum. pronomen *se* non desideratur quidem, sed ante particulam *sed* facile potuit excidere; nam ea sede positum est Histor. 2, 44; v. supra ad v. *fremebant.* similis locus Hist. 2, 76 *ne Othonem quidem ducis arte aut exercitus vi sed praepropera ipsius desperatione victum.*

1. *transferrent*] Put. 1 *transferent.*

4. *cohors Usipiorum*] *Usipii* sive *Usipetes* (v. Ann. 1, 51. Caes. b. g. 4, 1.) dextram Rheni ripam tum incolebant Batavorum insulae proximi. v. Germ. 32. de eodem facinore haec narrat Dio Cassius 66, 20. *στρατιῶται γάρ τινες στασιάσαντες καὶ ἑκατοντάρχους χιλίαρχόν τε φονεύσαντες ἐς πλοῖα κατέφυγον. καὶ ἐξαναχθέντες περιέπλευσαν τὰ πρὸς ἑσπέραν αὐτῆς, ὥς που τό τε κῦμα καὶ ὁ ἄνεμος αὐτοὺς ἔφερε. καὶ ἔλαθον ἐκ τοῦ ἐπὶ θάτερα πρὸς τὰ στρατόπεδα τὰ ταύτῃ ὄντα προσχόντες.* sed Tacitus potius audiendus est quam Dio. v. Ernest. ad Ann. 1, 17.

5. *et in Britanniam*] sic B et teste Broterio, nisi in numero codicis falsus est, nam Maggioranius non legit, etiam A. Puteolanus et reliqui omittunt part. *et* quae a plerisque recentioribus in textum admissa est. Handius ad Wopkensii lect. Tullian. p. 194 hanc scripturam non probandam esse censet, quum unum participium ad nomen pertineat, alterum cum verbo coniungatur et sensus sit: cohors, quae per Germanias conscripta erat, facinus ausa est in Britanniam transmissa.

5. *memorabile facinus*] Sallust. Catil. 4 *id facinus inprimis ego memorabile existimo.* Virgil. Aen. 4, 94 *magnum et memorabile numen.* ubi Burmannus Tacitum non omisit. PEERLK.

7. *immixti*] A et B *immixtis.*

7. *exemplum et rectores*] Vopiscus in vita imperatoris Taciti c. 4 *membra, quae ad exemplum docendi militis frequenter equitare valeant.* hinc *doctores cohortes* et serius *campidoctores et armidoctores.* v. Salmas. ad Vopiscum in Aureliano c. 23. PEERLK.

9. *remigante*] A, Bipont. Engel.

eoque interfectis, nondum vulgato rumore ut miraculum praevehebantur. mox hac atque illa rapti et cum plerisque Britannorum sua defensantium proelio congressi ac saepe victores, aliquando pulsi, eo ad extremum inopiae

Oberl. Hertel. Roth. Bach.; *remigrante* B ni fallor, Puteolanus, Rhenanus, Broter. Ern. Peerlk. alii. illam lectionem nunc recipiendam esse duxi, quia remigrare vix recte dici potest de eo, qui clam aufugit; nam adacti erant per vim gubernatores et milites iam adscenderant naves. quamquam etiam remigare pro gubernare est sine exemplo. Peerlkamp alteram lectionem ita censet distinguendam et explicandam: *et uno, remigrante, suspectis duobus, eoque interfectis;* hoc est: unum statim interfecerant, quia remigrabat, ad portum et litus redibat, duos mox interficiebant, quia erant suspecti, propter conatus unius gubernatoris redire cupientis. et ita fere Waltherus locum explicavit quum tres gubernatores interfectos esse diceret. sed haec ratio est contorta. ceterum verba *amissis per inscitiam reg. navibus* spectant fortasse ad illas duas naves quae erant sine gubernatore. postquam Usipii Britanniam circumvecti essent, ad littora Germaniae depulsi naufragium fecerunt atque ita primum a Suevis, mox a Frisiis intercepti sunt.

2. *praevehebantur*] sic A, Bipont. Engel. Oberl. recentiores; A in margine *prebebantur;* B, Puteolanus et reliqui *provehebantur.* verba *praevehi*, *praetervehi*, *pervehi*, *provehi* saepe permutantur; v. ad Hist. 2, 2 et 4. 3, 12. Plin. epist. 1, 16, 2. *praevehi* dicitur de transeunte. Ann. 2, 6 *qua Rhenus Germaniam praevehitur.* Hist. 2, 2 *igitur oram Achaiae et Asiae ac laeva maris praevectus.* sic Horat. carm. 4, 3, 10 *sed quae Tibur aquae fertile praefluunt.* 4, 14, 26 *Aufidus qui regna Dauni praefluit Appuli.*

2. *mox hac atque illa rapti et cum plerisque*] A et B, Put. 1, 2, Ven. Alc. *mox ad aquam atque* (B *aquam. Atque*, A *aquam, atque*) *ut illa raptis secum pl.* retinui emendationem Rhenani qui veterem lectionem tacite correxit. sed ex illis corruptis verbis alia esse elicienda, quam quae Rhenanus divinavit, certum est. nam verba *ad aquam* sine dubio Taciti sunt. aquae enim penuria afficiebantur. Peerlkamp coniecit *mox ad aquam vitaeque utilia, raptis secum plerisque Britannorum, et sua defensantium proelio congressi.* Sellingius facilius et melius *mox ad aquam atque utilia rapienda cum plerisque* sive *mox autem aquam atque utensilia raptantes cum plerisque.* Rothius in hac coniectura recte notavit *atque utensilia* et ex Taciti more mavult *et quae usui.*

3. *sua defensantium*] A in margine *ut sua defens.*

venere, ut infirmissimos suorum, mox sorte ductos vescerentur. atque ita circumvecti Britanniam, amissis per inscitiam regendi navibus, pro praedonibus habiti, primum a Suevis, mox a Frisiis intercepti sunt. ac fuere, quos per commercia venumdatos et in nostram usque ripam mutatione ementium adductos indicium tanti casus illustravit.

29 Initio aestatis Agricola domestico vulnere ictus anno ante natum filium amisit. quem casum neque, ut plerique

1. *infirmissimos — vescerentur*] cfr. Zumpt. gr. § 466.

2. *ita circumvecti*] in A particula non comparet eamque omiserunt Beckerus, Peerlkamp, Hertelius, Rothius, Bachius. ego retinui, quia conditio descripta est, qua Britanniam circumvecti sint.

2. *amissis — intercepti sunt*] fabula propter brevitatem non satis quidem perspicua, fortasse quum Tacitus rem parum cognosset; tamen emendatione locus non eget. Seebodius scripsit *Suecis;* Suevorum autem non una gens sed in commune vocantur. Germ. 38. neque operam perdamus in locis quibus aut naufragium fecerint aut ad terram appulerint quaerendis. Beckerus putat Suevos hoc loco eosdem esse cum Suionibus in Norvegia habitantibus comparans Germ. 44. 45.

3. *primum a Suevis*] B *primo dum a Suevis.* — Put. 1 *Suebis.*

5. *per commercia venumdatos*] sic c. 39 *emptis per commercia.* Germ. 24 *servos conditionis huius per commercia tradunt.*

5. *in nostram ripam*] i. sinistram, quae terminus erat provinciae Galliae; altera fuit Germanorum. ita fere Hist. 4, 27 *forte navem haud procul castris frumento gravem, quum per vada haesisset, Germani in suam ripam trahebant.*

6. *adductos*] Imm. Bekkerus *abductos*; typotheta fortasse aberravit. — de indicativo *illustravit* v. si tanti est Zumpt. gr. § 563.

7. *initio aestatis*] intellige sequentis i. septimae; at numerus scriptori non debet obtrudi.

7. *ictus — amisit*] Hertelius explicat per hypallagen praedicatorum *amisso filio ictus est.* rectius Rothius p. 200. *ictus* enim significat rem quae uno eodemque tempore fit. sic in sequentibus *praedata — faceret.* Histor. 4, 34 *unus egregium facinus ausus clara voce gesta patefecit, confossus illico a Germanis.*

8. *filium amisit*] his scilicet temporibus et iam ante ea proconsules secum uxores in provinciis habebant. de qua consuetudine in utramque partem disputant Caecina et Messalinus apud Tacitum Ann. 3, 33. v. Lips. adde Longol. ad Plin. epist. 10, 121. Peerlkamp.

8. *neque ut — neque per*] B *nec — nec.*

8. *ut plerique fortium virorum*

fortium virorum, ambitiose neque per lamenta rursus ac moerorem muliebriter tulit. et in luctu bellum inter remedia erat. Igitur praemissa classe, quae pluribus locis praedata magnum et incertum terrorem faceret, expedito exercitu, cui ex Britannis fortissimos et longa pace exploratos addiderat, ad montem Grampium pervenit, quem iam hostis insederat. nam Britanni nihil fracti pugnae prioris eventu et ultionem aut servitium exspectantes tandemque docti commune periculum concordia propulsandum legationibus et foederibus omnium civitatum vires exciverant. iamque super triginta milia armatorum adspiciebantur et adhuc affluebat omnis iuventus et quibus cruda ac viridis

ambitiose] viri fortes sunt militares: hi fere ambitiose in talibus rebus, h. e. ostentant patientiam et nimis volunt constanter ferre incommoda videri, contra humanitatis communis rationem. ERNEST. vide exemplum Tiberii Ann. 4, 8 et 13. BIPONT. Quintil. instit. orat. prooem. 6, 7 *non sum ambitiosus in malis.* v. de voc. *ambitio* et *ambitiosus* Gronov. ad Liv. 45, 36, 8. Spalding. ad Quintil. 1, 2, 22. 2, 4, 29 et saepius.

1. *rursus*] i. contra; v. Boettich. lex. p. 415.

2. *et in luctu*] Bachius male explicavit per *sed;* non enim res contraria aut diversa additur. v. Walther.

4. *incertum terrorem faceret*] haec verbis praecedentibus illustrantur. quia enim classis pluribus et diversis locis praedabatur, ignorarunt quo esset appulsura et sibi quisque eam imminere putavit.

6. *Grampium*] sic A, Puteolanus, reliqui. *Graupium* habet B. hodie vocatur Grantzbain.

7. *hostis insederat*] sic A, *insederat* etiam Put. 1.; B, Puteol. 2 et reliquae editiones veteres *hostes insederant,* quod fortasse scriptum est quia sequitur *Britanni.* sed Tacitus amat orationis varietatem. numerus singularis cum plurali saepe iungitur. Ann. 3, 46 *et circumfudit eques frontemque pedites invasere.* 6, 35 *cum Parthus sequi vel fugere — suetus distraheret turmas — Sarmatae omisso arcu — contis gladiisque ruerent.* Germ. 6 *et eques quidem scuto frameaque contentus est; pedites et missilia spargunt.* codicem A iam secuti sunt Beckerus, Peerlkamp, alii e recentioribus.

12. *cruda ac viridis senectus*] Ann. 1, 8 *a parentibus acceperant diem illum crudi adhuc servitii et libertatis improspere repetitae.* iisdem verbis utitur Virgilius Aen. 6,

senectus, clari bello ac sua quisque decora gestantes, quum inter plures duces virtute et genere praestans, nomine Calgacus, apud contractam multitudinem proelium poscentem in hunc modum locutus fertur.

30 „Quoties causas belli et necessitatem nostram intueor, magnus mihi animus est hodiernum diem consensumque vestrum initium libertatis totius Britanniae fore. nam et universi servitutis expertes et nullae ultra terrae ac ne mare quidem securum, imminente nobis classe Romana. ita proelium atque arma, quae fortibus honesta, eadem

304 *sed cruda deo viridisque senectus*, ad quem locum Heynius docet *crudam senectutem* Graecis esse *ὠμὸν γῆρας*, *ὠμογέρων*. a poetis haec vox fere dicitur de iuvenibus aut puellis nuptiis nondum maturis. Horat. carm. 3, 11, 12. v. Gronov. ad Senec. Oedip. 167. Drakenb. ad Sil. Ital. 5, 569. Schaef. ad Plin. epist. 1, 12, 5.

1. *ac sua quisque*] sic in utroque codice Maggiorani et Clemens legisse videntur et primus edidit Rhenanus, quum ante eum inde a Puteolano legeretur *et sua*. hoc in prima editione male revocavi et recentiores mihi obsecuti sunt.

1. *decora*] Ernestius praemia ob virtutem bellicam accepta intelligit. Hertelius mavult intelligere de manubiis, quas hostibus interfectis detraxerant.

2. *Calgacus*] sic nomen legitur in codicibus et edit. Puteol., unde Ernestius et Broterius restituerunt. Alciatus, Rhenanus, reliqui *Galgacus*.

3. *apud contractam*] Puteolani editiones *contracta*.

5. *quoties*] sic etiam hoc loco codices. *quotiens* habent editiones veteres ut supra c. 1. et potest ita scribi more prisco. eandem formam esse in antiquis et lapidibus et libris iam affirmavit Manutius ad Cicer. epist. ad div. 1, 7, licet ipse eam probare nolit. reperta est etiam in codicibus rescriptis Ciceronis libr. de re publ. et Merobaudis fragm.

5. *necessitatem nostram*] i. conditionem quae describitur verbis *nam et universi* cet.

6. *animus est*] i. spes, nam etiam haec est quidam animi affectus. locus quem Bachius laudavit ex Sallust. Catil. 40, 6 ad hanc significationem demonstrandam non est aptus. equidem nullum alium novi.

6. *consensumque vestrum*] B *consensusque vostrum*.

7. *totius Britanniae*] B *toti Britanniae*, quod aeque rectum est atque altera lectio.

10. *eadem etiam*] non fortibus tantum sed etiam ignavis. Roth.

etiam ignavis tutissima sunt. priores pugnae, quibus adversus Romanos varia fortuna certatum est, spem ac subsidium in nostris manibus habebant, quia nobilissimi totius Britanniae eoque in ipsis penetralibus siti nec servientium littora adspicientes oculos quoque a contactu dominationis inviolatos habebamus. nos terrarum ac libertatis extremos reces-

contra *intuta quae indecora* Histor. 1, 33.

1. *priores pugnae* cet.] in quibus Calgacus cum suis non pugnaverat. Freinshemio et Boxhornio displicet voc. *pugnae* eamque omitti volunt, quum locum non intellexerint. *pugnae spem habebant* per metonymiam dictum est et abstracto ut vulgo dicitur id attribuitur quod proprium est concreti. alii v. *habebant* interpretantur *noch lassen.* sensus ex Ernesti sententia: in prioribus pugnis s. quum prioribus temporibus pugnaretur, aliquod perfugium erat relictum in nostra virtute eaque spes restabat. In iis autem, quae sequuntur, immerito Ernestius haeret; Calgacus haec iactabundus loquitur: spes posita erat in ipsis, quod nobilissimi essent et in ipsis penetralibus quasi ἐν κειμηλίῳ gentis siti. Peerlkamp haec ita transponit: *quia in ipsis penetralibus siti eoque nobilissimi totius Britanniae.*

3. *manibus*] B *navibus.* mox Ven. *tutius* pro *totius.*

5. *a contactu*] codices et Put. 1; *contractu* Put. 2, Ven. Alc., quod Rhenanus emendavit. — pro *habebamus* Bipont. et Engel. *habemus.*

6. *nos terrarum ac libertatis extremos*] libertas e Britannia ad Caledonios recepisse se videbatur, qui devictis reliquis soli libertatem tuebantur itaque libertatis extremi erant; defendebat eos quod remoti erant. similia structurae exempla laudavit Peerlkamp Horat. carm. 1, 35, 29 *serves iturum Caesarem in ultimos orbis Britannos.* Sil. Ital. 3, 282 *quin et Massyli fulgentia signa tulere, Hesperidum veniens lucis domus ultima terrae.*

6. *recessus ipse ac sinus famae*] posset etiam, ait Rhenanus in castigationibus, scribi *fama* casu sexto i. e. per famam defendit, et hoc praeferunt Muretus, Boxhornius, Gesnerus. sed vulgata bene se habet, quamquam de explicatione non convenit. *recessus* et *sinus* synonyma sunt. *sinus* est pars quaedam secreta sive locus maxime remotus, quem Agricola c. 33 extr. ipsum terrarum ac naturae finem nominat; et saepius illa vox adiectiva *extremus* vel *ultimus* secum habet coniuncta. Virgil. Georg. 2, 122 *aut quos Oceano propior gerit India lucos, extremi sinus orbis.* de voc. *famae* accedo nunc Peerlkampio et Rothio, quorum uterque casum tertium, non secundum esse existimat. ille ita explicat: ,,recessus ac sinus regionis nos defen-

sus ipse ac sinus famae in hunc diem defendit. nunc terminus Britanniae patet; atque omne ignotum pro magnifico est: sed nulla iam ultra gens, nihil nisi fluctus et saxa, et infestiores Romani, quorum superbiam frustra per obsequium et modestiam effugeris. raptores orbis, postquam cuncta vastantibus defuere terrae, et mare scrutantur: si locuples hostis est, avari; si pauper, ambitiosi; quos non

dit famae, a fama. Romanis adhuc ne fama quidem noti eramus. defendit famae pro a fama rarius quidem est et poetarum magis proprium sed ideo minus a Tacito alienum.'' v. etiam Zumpt. gr. § 469. Rothii interpretationem v. pag. 146 comm.

1. *in hunc diem*] Imm. Bekkerus, Bachius, fortasse etiam alii *in hanc diem*, nescio unde.

2. *atque omne ignotum* cet.] pro *atque* Rhenanus putavit legi posse *atqui* et ita Gesnerus scripsit. has particulas a librariis saepissime confusas esse satis constat. v. Spalding. ad Quintil. 4, 2, 10 et 80. 4, 3, 17. Gernhard. ad Cicer. de senect. 50. at de obiectione hoc loco non est quod cogites. Acidalius haec verba transposuit et coniecit *recessus ipse ac sinus famae* (vel *fama)*, *namque omne ign. p. m. est*, *in h. d. defendit. nunc terminus* cet. vel ita: *recessus ipse ac sinus in h. d. defendit. Famae namque omne i. p. m. est.* Muretus illa deleri vult; Ritterus uncis inclusit, sed censor eius Hallensis bene comparavit Thucyd. 6, 11 *τὰ γὰρ διὰ πλείστου πάντες ἴσμεν θαυμαζόμενα καὶ τὰ πεῖραν ἥκιστα τῆς δόξης δόντα.* Peerlkamp proposuit: *nunc terminus Britanniae patet*, *utque omne ignotum*, *pro magnifico est.* facilis quidem est emendatio sed idem sensus vulgatae est; nam magnificum idem esse puto quod magnum, coll. c. 25 *maiore fama*, *uti mos est de ignotis.* Calgacus ut his verbis significat timorem Romanorum fore magnum, ita virtutis stimulum civibus addit quum dicit: *sed nulla iam ultra gens*, scilicet in qua ipsi spem ac subsidium habere possint.

4. *infestiores*] ita A et B, Broter. Ern. Bipont. cet. *inferiores* Puteolanus, Alc. Rhenanus; hic tamen in castigationibus correxit *eo infestiores*. anonymus e codice Mirandulano *et inter ea Romani;* Lipsius in dispunctione notarum cod. Mirand. *infestiores* se scripsisse affirmat, at ipse edidit *interiores* et in annotatione proposuit *iis feriores.* alii alia. Romani dicuntur infestiores quam fluctus et saxa.

6. *cuncta vastantibus defuere terrae*] A et B *cuncta;* P. 1 *cuncts*(sic), inde factum *cunctis* in Put. 2, Ven. Alc. tum *defuere.* (sive:) *terram* A, B, Puteolanus, Alciatus. vulgata

oriens, non occidens satiaverit. soli omnium opes atque inopiam pari affectu concupiscunt. auferre, trucidare, rapere falsis nominibus imperium, atque ubi solitudinem faciunt, pacem appellant. liberos cuique ac propinquos suos 31 natura carissimos esse voluit. hi per delectus alibi servituri auferuntur; coniuges sororesque, etiamsi hostilem libidinem effugiant, nomine amicorum atque hospitum polluuntur. bona fortunasque in tributum aggerant, annum in

est Rhenani emendatio. attamen in illa codicum et veterum librorum scriptura fortasse aliud quid latet. non enim intelligo quid hoc loco sibi velit oppositio inter terram et mare. sin communis est sententia, minus recte dictum videtur *postquam — defuere.*

1. *soli omnium opes atque inopiam*] Ven. et Alc. *soli omnium atque opes inopiam.* Rhenanus veterem verborum ordinem restituit.

3. *rapere — appellant*] eadem fere Mithridates in epistola ad regem Arsacen in Sallusti fragm. histor. § 2 et 6. *Namque Romanis cum nationibus, populis, regibus cunctis una et ea vetus causa bellandi est, cupido profunda imperii et divitiarum. — An ignoras Romanos, postquam ad occidentem pergentibus finem oceanus fecit, arma huc convortisse? neque quicquam a principio nisi raptum habere, domum, coniuges, agros, imperium? convenas olim sine patria, parentibus, peste conditos orbis terrarum: quibus non humana ulla neque divina obstant, quin socios amicos, procul iuxta sitos, inopes potentisque trahant exscindant omniaque non serva et maxume regna hostilia ducant.*

6. *etiamsi*] B et teste Broterio A; Maggioranius nihil enotavit. Puteolanus *etsi.* illud primus recepit Beckerus.

8. *bona — frumentum*] A et B *bona fortunae quae* (A in margine *quoque) in tributum aggerat annus. In* (B sine interpunctione) *frumentum.* Put. 1, 2, Ven. Alc. *bona fortuna quae in tributum aggerat* (sic sola Put. 1; in Put. 2 et Ven. *agerat*, Alciatus *egerat) annus in* (interpunctionis signum post *annus* in Put. 1 et 2 nullum est, apparet in Ven. et Alc.) *frumentum.* ex hac corrupta lectione Rhenanus finxerat *bona fortunasque in tributum egerunt, in annonam frumentum*, et ita locus legebatur, donec Walchius in emendationibus Livianis p. 106 scripsit *bona fortunasque in tributum egerunt, annos in frumentum.* hanc emendationem Doederleinius et ego recepimus ita tamen ut ille v. *egerunt* mutaret in *aggerant*, ego hac emendatione recepta praeterea *annum* scriberem. ad codicum et veterum librorum lectionem propius acce-

frumentum. corpora ipsa ac manus silvis ac paludibus emuniendis verbera inter ac contumelias conterunt. nata servituti mancipia semel veneunt atque ultro a dominis

dens Waltherus scripsit *bona fortunaeque in tributum aggerata*, *annus in frumentum*; secutus est Bachius nisi quod *aggerantur* scripsit. *annus* est annuus proventus, annona; v. Ruhnkenium in praefatione ad lex. Scheller. sic Germ. 14 *nec arare terram aut exspectare annum tam facile persuaseris.* Lucan. 3, 70 *effusis magnum Libye tulit imbribus annum.* Stat. silv. 3, 2, 22 *navis Pharium gravis intulit annum. frumentum* autem est iussum, imperatum frumentum vel decumae. Ann. 4, 6 *at frumenta et pecuniae vectigales, cetera publicorum fructuum societatibus equitum Romanorum agitabantur.*

1. *silvis — emuniendis*] i. e. viis per silvas et paludes muniendis. verbum Livianum. Ernest. Rhenanus in castigationibus ad Hist. 3, 74 *et praemia enavatae operae petebant* praepositionem *ex* consummationem significare putat. similia verba apud nostrum sunt *evincere* (de quo v. Brockhus. ad Propert. 4, 7, 2. Drakenb. ad Sil. Ital. 3, 581.) *emercari* Ann. 13, 44. *evincere* Ann. 3, 46. *evincere* Ann. 6, 43. alia collegit Petersen ad l. ex Hist. I. annot. spec. II p. 19.

2. *verbera inter ac contumelias*] Broterius in cod. A legit atque inde edidit *inter verbera ac contumelias*; Maggioranius nihil monuit ad vulgatam. in altero autem codice hunc esse verborum ordinem concludo, quod Clemens ad Broterii textum nullam lectionis varietatem adscripsit. Puteol. 1, 2, Ven. Alc. *verbera emuniendis inter ac cont.* quae Rhenanus transposuit, ut vulgo leguntur. Broterium sequuti sunt Beckerus, Hertelius, Rothius. exempla praepositionum nominibus postpositarum colleg Boettich. in lex. p. 120.

3. *mancipia semel veneunt*] huic sententiae plane compar et velut hinc hausta illa Salviani l. 6 extr., ubi queritur Romanos tributa barbaris pendere quae munera vocabant. *Dicimus donum esse quod pretium est et quidem pretium conditionis durissimae ac miserrimae. omnes quippe captivi quum semel redempti fuerint, libertate potiuntur; nos semper redimimur et nunquam liberi sumus.* Lips. Peerlkamp Salviano addidit Dionem 62, 3. in oratione illius reginae, de qua Tacitus c. 16 loquitur, nonnulla sunt, quae cum Taciti verbis conveniunt. *οὐ τῶν μὲν πλείστων καὶ μεγίστων κτημάτων ὅλων ἐστερήμεθα, τῶν δὲ λοιπῶν τέλη καταβάλλομεν; οὐ πρὸς τῷ τἄλλα πάντα καὶ νέμειν καὶ γεωργεῖν ἐκείνοις καὶ τῶν σωμάτων αὐτῶν δασμὸν ἐτήσιον φέρομεν; καὶ πόσῳ κρεῖττον ἦν ἅπαξ τισὶ πεπρᾶσθαι μᾶλλον ἢ μετὰ κενῶν ἐλευθερίας ὀνομάτων κατ' ἔτος λυτροῦσθαι; — semel ein für allemal*, ut Graeci *ἅπαξ*. v. Passov. ad Germ. 19. et Peerlkamp

aluntur; Britannia servitutem suam quotidie emit, quotidie pascit; ac sicut in familia recentissimus quisque servorum etiam conservis ludibrio est, sic in hoc orbis terrarum vetere famulatu novi nos et viles in excidium petimur. neque enim arva nobis aut metalla aut portus sunt, quibus exercendis reservemur. virtus porro ac ferocia subiectorum ingrata imperantibus, et longinquitas ac secretum ipsum quo tutius, eo suspectius. ita sublata spe veniae tandem sumite animum, tam quibus salus, quam quibus gloria carissima est. Brigantes femina duce exurere coloniam,

ad n. l. qui comparavit Cic. de offic. 3, 15, 62 *Scaevola cum postulasset, ut sibi fundus, cuius emptor erat, semel indicaretur* cet. Quintil. declam. 348 *an liberi vestri coniugesque traditam a maioribus in hoc usque tempus libertatem semel penderent.*

1. *quotidie emit, quotidie pascit*] emit, tributis pendendis; pascit, frumento praebendo. Ern. *pascere* autem cum indignatione dictum est, ut nos utimur v. *füttern.* Hertel.

3. *etiam conservis*] sic A; Puteolanus *et;* in codice B particula omissa est, fortasse recte; nam dominis servi ludibrio esse non solent, sed ab illis aluntur.

5. *arva*] sic in utroque codice scriptum videtur. Put. 1, 2, Ven. Alc. *arma*, cuius in locum Rhenanus veram dedit lectionem.

5. *quibus exercendis reservemur*] Germ. 29 *agros exercere.* Ann. 11, 7 *quosdam exercendo agros tolerare vitam.* 12, 43 *sed Africam potius et Aegyptum exercemus.* v. Ern. ad Ann. 11, 7 et Günther. in Athenaeo 2, 2, 261. *portubus exercendis* recte explicat Walchius portus, quorum reditibus exercendis reserventur. nam de remigio cogitare ut fecit Waltherus vetat nos totius loci sensus. Calgacus his verbis Romanorum avaritiam carpit, quum dicit haec omnia, ex quibus Romani quaestum sperent, Caledoniis nulla esse. arva quidem erant, sed agri steriles et infecundi; metallorum fodinae non innotuerant; portus multi sed nullum emporium. haec illustrantur iis quae oratione extrema leguntur: *ibi tributa et metalla et ceterae servientium poenae.*

6. *virtus ac ferocia*] de discrimine synonymorum v. Doederl. 1, 44. Ann. 2, 25 *qui — eadem virtute, pari ferocia et veluti aucti numero irrupissent.* Histor. 5, 11 *poscebantque pericula, pars virtute, multi ferocia et cupidine praemiorum.*

10. *Brigantes*] ita uterque codex atque omnes editiones veteres.

expugnare castra, ac nisi felicitas in socordiam vertisset, exuere iugum potuere. nos integri et indomiti et libertatem non in poenitentiam laturi primo statim congressu ostendamus, quos sibi Caledonia viros seposuerit. an eandem Romanis in bello virtutem quam in pace lasciviam

Cambdenus ex Ann. 14, 31 emendavit *Trinobantes*, quod Broterius, Ernestius, alii receperunt. vetus lectio vindicem invenit Doederleinium in notis ad convers. p. 57, qui in ea defendenda nihil nobis reliqui fecit. recentiores eum secuti sunt.

1. *expugnare*] *et expugnare* B.

1. *socordiam*] Put. 1, 2, Ven. Alc. *secordiam*.

2. *et libertatem non in poenitentiam laturi primo statim congressu ostendamus*] sic locus olim misere tractatus in utroque codice legitur, nisi quod B habet *et in libertatem*. in cod. A non apparere signum interrogationis post v. *seposuerit* Maggioranius commemoravit; de altero nihil mihi constat. quod in prima mea editione *concursu* pro *congressu* ex codice A affertur, mea incuria factum est, qua decepti omnes fere recentiores illam vocem receperunt. — Put. 1, 2, Ven. Alc. *et in libertatem non in praesentiam laturi pr. st. congr. unde ostendamus*. Rhenanus in textu scripsit *et libertatem non inpraesentia* cet., in castigationibus proposuit *illaturi*. Lipsius coniecit *libertatem non in praesenti ablaturi* (vel *illaturi*) *prima statim congressione ostendamus* vel *congressu nonne* vel simplici *non* interrogando. Muretus (var. lect. 15, 3) *et in libertatem, non in populi Romani servitium nati prima statim congressione ostendamus*. anonymus e codice Mirandulano *at libertatem in praesentia non laturi pr. st. congr. abunde ostendamus*. Gronovius ad Statii silv. diatr. p. 269 ed. Lips. *inde ostendamus* et ita quidem, ut adverbium *inde* pertineat ad nomen *congressu* et pro adiectivo sit, proinde ac si Tacitus dixisset *primo congressu exordiente*, de qua emendatione v. Hand. Tursell. 3, 370. Broterius locum sic constituit *et in libertatem, non in praedam certaturi pr. st. c. vivide ostendamus*. quod emendavit *vivide*, id confirmatur auctoritate Scaligeri, qui sua manu ita scripserat in exemplari quo utebatur teste Rutgersio lect. Venusin. c. 31 p. 415. Ernestius haec ita corrigenda esse putavit *et libertatem in praemium* (s. *in praemio*) *laturi non pr. st. congr. ostendamus*; Bipont. atque Engel. *et ii libertatem non in praesens tantum laturi pr. st. congr. nonne ostendemus*. pro *unde* Doederleinius in actis philolog. Monac. coniecit *uno die*. de vocabulo *impraesentiarum* quod Tacito obtrudere voluerunt v. Hand. Tursell. 3, 234 sq. equidem hoc vocabulum grammaticis et scriptoribus medii aevi deberi arbitror

adesse creditis? nostris illi dissensionibus ac discordiis clari vitia hostium in gloriam exercitus sui vertunt, quem contractum ex diversissimis gentibus ut secundae res tenent, ita adversae dissolvent, nisi si Gallos et Germanos et (pudet dictu) Britannorum plerosque, licet dominationi alienae 32

vel certe iis relinquendum esse; saepissime enim apud illos scriptores legimus et in codicillis, edictis, mandatis principum aut pontificum quae diplomata aut bullae vocantur, ita ut scribae id valde paratum habuisse viderentur. Lectionem codicum *in poenitentiam* primus commendavit censor meae editionis in ephemer. litter. Lipsiens. a. 1827 m. Febr. atque interpretatus est ,,libertatem non ita laturi, ut mox liberos fuisse nos poeniteat, scilicet ut Brigantes postea poenituit.“ tum defenderunt Waltherus et Rothius. quamquam etiam Puteolani lectio *in praesentiam*, de qua dicendi formula v. Doederl. synon. 1, 144 et Hand. Tursell. 3, 338, bonum praebet sensum quem in prima editione exposuimus.

1. *dissensionibus*] ita A, et ni fallor etiam B, codex Ursini, idemque mavult Rhenanus in castigationibus, cui assentiuntur Muretus, Pichena, Faernus, Broterius. *discessionibus* scripsit Puteolanus quem alii sequuti sunt. utrumque bonum est. nostrum Waltherus tuetur loco ex Dial. 40, 4 *nostra quoque civitas, donec erravit, donec se partibus et dissensionibus et discordiis confecit* cet. de discrimine utriusque verbi v. Walchium.

2. *clari vitia*] Ven. *clari. Vita;* Rhenanus commate primus distinxit.

2. *vitia hostium*] Muretus volebat *vitia nostra.* ,,non imiter; intellige *suorum.* Tacit. Ann. 2, 15 Arminium facit dicentem *hos esse Romanos, quorum pars onusta vulneribus terga, pars fluctibus et procellis fractos artus infensis rursum hostibus, adversis diis obiiciant. hostes* sunt ipsi Germani, quorum dux loquitur. Liv. 3, 63 *Sabini fusi passim per agros castra hosti ad praedam relinquunt. hosti* nempe *Romano.* Quod ad sententiam attinet, similis est illa Planci ad Ciceronem epist. 10, 4 *ne inter aliena vitia hae gentes nostra mala suam putent occasionem.* v. Kortius Taciti non oblitus.“ PEERLKAMP.

3. *contractum*] B *contactum.* mox Venet. *dissolent* pro *dissolvent.*

4. *pudet dictu*] pro *pudet dicere.* non admodum dissimile Plaut. Bacch. 3, 1, 12 *neque mei neque tui intus puditum est factis quae facis.* et Valer. Max. 9, 13, 2 *nec relationi familiaria, quia dictu fastidienda sunt.*

5. *licet — commendent*] ita uterque codex; in Puteolana 1 et 2 legitur *licet — commodent;* in Veneta omissum est *licet* fortasse opera-

sanguinem commendent, diutius tamen hostes quam servos fide et affectu teneri putatis. metus et terror est, infirma vincula caritatis, quae ubi removeris, qui timere desierint, odisse incipient. omnia victoriae incitamenta pro nobis sunt. nullae Romanos coniuges accendunt; nulli parentes fugam exprobraturi sunt. aut nulla plerisque patria aut alia est;

rum culpa; inde fecit Rhenanus *plerosque dominationi a. s. commodantes.* Ernestius et Broterius Puteolani lectionem restituerunt, quam etiam ego in prima editione retinueram. sed *commendare* non est cur spernamus.

1. *hostes quam servos*] A teste Maggioranio *tamen servos hostes quam servos;* ex altero codice nulla lectionis varietas nobiscum communicata est, itaque vulgata in hoc libro scripta esse videtur. Puteolanus *hostes servos;* Rhenanus particulam inseruit. quum in prima editione ex codice A tantum retulissem *servos hostes*, omnes fere recentiores verba *quam servos* in codice non legi credebant, quod neque Maggioranius annotaverat neque ego dixeram. igitur certatim interpretabantur lectionem quae recte explicari nequit.

2. *metus et terror est*, *infirma*] Beroaldus et Alciatus *terror sunt infirma;* Rhenanus veterem lectionem tacite restituit, quum sensum verborum et rationem appositionis recte intelligeret.

3. *vincula*] A teste Broterio *vincla.*

3. *quae ubi*] *qua ubi* Put. 1, 2, Ven.

3. *qui timere desierint*] nec male *quos timere des.* Lipsius. sed non necessarium utpote in sententia. ceterum peccatum typographi *timeri* ex mea editione transiit in editiones Beckeri, Hertelii, Rothii, fortasse etiam aliorum.

5. *accendunt*] ita A et B, Put. 1 et 2; *accedunt* Venet. Beroald. Alciat., quod Rhenanus emendavit in veterem lectionem. Doederleinius in actis phil. monac. defendebat *accedunt.* Germ. 7 (mulieres et uxores) *hortamina pugnantibus gestant. memoriae proditur quasdam acies inclinatas iam et labantes a feminis restitutas constantia precum* cet. ubi v. Passovium.

6. *exprobraturi*] P. 1 *exprobaturi.*

6. *aut nulla plerisque* cet.] nulla patria iis est, qui ex diversissimis gentibus collecti fera militum vita gaudent suamque patriam nullo amoris affectu amplectuntur, quorum in numero vel ipsi Romani. aliis patria quidem, sed eam non defendunt in Britannia. Rothius laudavit Plutarch. Tiber. Gracch. 9 *ὡς τὰ μὲν θηρία τὰ τὴν Ἰταλίαν νεμόμενα καὶ φωλεὸν ἔχει καὶ κοιταῖόν ἐστιν αὐτῶν ἑκάστῳ καὶ κατάδυσις, τοῖς δ' ὑπὲρ τῆς Ιταλίας μαχομένοις κα*

paucos numero, trepidos ignorantia, coelum ipsum ac mare et silvas, ignota omnia circumspectantes, clausos quodammodo ac vinctos dii nobis tradiderunt. ne terreat vanus adspectus et auri fulgor atque argenti, quod neque tegit

ἀποθνήσκουσιν ἀέρος καὶ φωτὸς, ἄλλου δ' οὐδενὸς μέτεστιν, ἀλλ' ἄοικοι καὶ ἀνίδρυτοι μετὰ τέκνων πλανῶνται καὶ γυναικῶν.

1. *paucos numero*] Lipsius *paucos numeros* ut intelligantur cohortes, manipuli, vexilla; v. supra ad c. 18. Lipsii emendationem receperunt Pichena, alii. codicum scripturam non novi; exemplum tamen, in cuius margine Maggioranius lectionem cod. A annotavit, habet *numeros* neque varietas est ad scripta. voc. *numero* per pleonasmum adiectum esse bene monuit Hertelius; sed in loco Ciceronis de orat, 2, 28, 121 idem vocabulum haud dubie falsum est, v. ibi Ellendt. ego olim aliam huius vocabuli significationem ceperam.

1. *trepidos ignorantia*] et codices et omnes editiones habent *circum trepidos* vel ita ut unum sit verbum, quod est nullum. Ernestius pro *circum* maluit *civium*, quum legiones sint e civibus Romanis; Anquetil et Seebodius *locorum;* Walchio excidisse videtur *locorum* vel *regionum* vel *viarum;* praeeunte Heumanno cum Oberlino delevi particulam quae facile ex versu sequente irrepere potuit. Waltherus et Bachius adverbium interpretantur ,,quocunque se vertunt, undique trepidantes;" sed hoc *circum* non significat.

2. *silvas*] B *silvis.*

2. *circumspectantes*] Doederleinius p. 58 vers. divisim *circum spectantes* et ita Beckerus, Hertelius. verbum optime defendit atque interpretatur Rothius.

3. *vinctos dii nobis tradiderunt*] ita uterque codex locum exhibere videtur. Puteol. Alc. Rhen. dederunt *victos alii* quod Lipsius ingeniose correxit et in vulgatam mutavit. *vinctos* iam in editione Riv. exstare dicitur. *alii* quod ego revocaveram sane admodum ieiunum est. *vinctos* autem unice verum. Ann. 1, 65 *en Varus et eodem iterum fato vinctae legiones* ubi eadem scripturae varietas. Hist. 1, 79 *Sarmatae dispersi aut cupidine praedae graves onere sarcinarum et lubrico itinerum adempta equorum pernicitate velut vincti caedebantur.* Peerlkamp laudavit Liv. 22, 49 *tum denuntianti cuidam iussisse consulem ad pedes descendere equites, dixisse Hannibalem ferunt „quam mallem, vinctos mihi traderet."*

4. *quod neque tegit neque vulnerat*] B *nec* — *nec* ut supra c. 28. — Sententia a variis historicis varie ornata. eleganter Papirius apud Livium 10, 39 *non enim cristas vulnera facere, et per picta atque aurata scuta transire Romanorum pilum.* v. Bernegg. ad Iustin. 11,

neque vulnerat. in ipsa hostium acie inveniemus nostras manus: agnoscent Britanni suam causam; recordabuntur Galli priorem libertatem; deserent illos ceteri Germani, tamquam nuper Usipii reliquerunt. nec quidquam ultra formidinis: vacua castella, senum coloniae, inter male parentes et iniuste imperantes aegra municipia et discordantia. hic dux, hic exercitus: ibi tributa et metalla et ceterae servientium poenae, quas in aeternum perferre aut statim ul-

13 et Freinshem. ad Curt. 3, 11. PEERLK.

1. *nostras manus*] ne intelligas cum Bachio solos Britannos, sed etiam Gallos et Germanos.

2. *recordabuntur*] Put. 1, 2, Ven. Alc. *recordabunt;* Rhenanus tacite correxit. de forma activa v. Priscian. p. 380 ed. Krehl.

4. *tamquam*] non secus ac, quemadmodum. Hist. 1, 6 *inauditi atque indefensi tamquam innocentes perierant.* 1, 37 *nunc et subiectos nos habuit tamquam suos et viles ut alienos.* falsa docet Waltherus ad 1, 6.

4. *reliquerunt*] Ven. Riv. Beroald. *relinquerunt.*

4. *nec quidquam*] B *nequaquam.* v. Drakenb. ad Liv. 6, 14, 4.

5. *coloniae*] Put. 1, 2, Ven. *celoniae.* senes per contemptum vocat veteranos et emeritos, qui fere in coloniis collocati. *aegra* porro *municipia* vocat ambiguam fidem habentium. ERN. Cicero p. Milone 25 iungit *rei publicae partes aegras et labantes.* OBERLIN.

5. *inter male parentes* cet.] „Tacitus brevitatis studio, ut uno nomine enuntiationem temporalem comprehenderet, adeo ad personas hanc rationem contulit.“ Hand. in Tursell. 3, 406. Ann. 11, 10 *nece Bardanis turbatae Parthorum res inter ambiguos, quis in regnum acciperetur,* i. e. quum essent ambigui. Hist. 1, 1 *ita neutris cura posteritatis inter infensos vel obnoxios.*

6. *aegra municipia*] ita A et B; in margine cod. A „al. *tetra mancipia.*“ Puteolanus, Ber. Alc. *erga* pro *aegra*, quod Rhenanus tacite correxit.

7. *servientium poenae*] miseriae sunt quas victi ferunt a victoribus, ut Peerlkamp interpretatur qui laudat Iustin. 3, 5 *dein quum per annos LXXX gravia servitutis verbera, plerumque et vincula caeteraque captivitatis mala perpessi essent, post longam poenarum patientiam bellum restaurant.*

8. *perferre*] B et teste Broterio (Maggioranius *proferre* legisse videtur) A, et ita Bipont. Engel. Oberl. recentiores. *proferre* Puteolanus et deinceps reliqui.

cisci in hoc campo est. proinde ituri in aciem et maiores vestros et posteros cogitate."

Excepere orationem alacres, ut barbaris moris, cantu 33 et fremitu clamoribusque dissonis. iamque agmina et armorum fulgores audentissimi cuiusque procursu; simul instruebatur acies, quum Agricola quamquam laetum et vix

1. *in hoc campo est*] *esse in a. re* significat h. l. *beruhen auf etwas* interprete Rothio qui hos locos laudavit. Liv. 10, 14 *omnem reliquam spem in impetu esse equitum.* Cic. ad Attic. 2, 22, 5 *unum illud tibi persuadeas velim omnia mihi fore explicata, si te videro; sed totum est in eo, si ante, quam ille ineat magistratum.* Annal. 2, 46 *illo in corpore decus omne Cheruscorum.* infra c. 33 *in his omnia.*

1. *maiores*] Ven. Alc. *maioris.*

3. *ut barbaris moris*] sic uterque codex (et B quidem cum signo interpunctionis post v. *moris*), receptum a Beckero, Peerlkampio, Hertelio, Rothio, aliis. Puteolanus quem reliqui sequuti sunt dedit *et barbari moris.* illud Taciti esse demonstrabo infra c. 39. quod Waltherus dixit, si codici (scilicet unius tantum lectionem novit) fidem haberemus, scribendum esse *et, ut b. m.*, hoc non necessarium esse arbitror. si quis autem in codicum lectione verba *cantu, fremitu, clamoribus* ad v. *alacres* referat, ut Bachius fecit, sane ineptum efficiet sensum. genitivum *barbari moris*, quem etiam ego in prima editione retinueram, vix satis commode explicaveris. nam neque pendere potest a *cantu*, quod recte observat Rothius (in verbis Hist. 1, 14 *vultu habituque moris antiqui* alia est genitivi ratio); neque dictum esse puto pro *quod barbari moris est.* etenim si Tacitus hoc dicere voluisset, usus esset ablativo *more barbaro*, ut Hist. 2, 22 *cohortes Germanorum cantu truci et more patrio nudis corporibus super humeros scuta quatientium.* de re cfr. Ann. 1, 65. Hist. 4, 18. 5, 15. Germ. 3.

3. *cantu et fremitu clamoribusque*] sic A quod colligo ex Maggioranii silentio et Rhenanus ex coniectura. in B scriptum est *cantu fremituque et clamoribus;* Puteolanus dedit *cantu fremitu et clamoribus.* lectio codicis B defendi potest c. 25 *pedes equesque et nauticus miles.* c. 10 *terrae montesque — et profunda moles continui maris.*

4. *iamque agmina*] verbum aliquod supplendum est, *conspiciebantur* sive *apparebant;* v. c. 17.

5. *audentissimi c. procursu*] i. audentissimo quoque procurrente; v. Roth. p. 197.

5. *instruebatur*] sic B; alter codex teste Maggioranio in contextu *instruebantur*, in margine „al. *instituebantur*." Puteolanus *instruebantur* et deinceps reliqui. nume-

munimentis coercitum militem accendendum adhuc ratus ita disseruit. „Octavus annus est, commilitones, ex quo virtute et auspiciis imperii Romani fide atque opera vestra

rum singularem cum Beckero, Hertelio, aliis recepi, quum de sola Britannorum acie sermo sit.

1. *munimentis coercitum*] hoc iam a Gronovio et Gesnero coniectum dedi cum Broterio, Ernestio, aliis e cod. B et codice Ursini; alter Vaticanus in contextu habet *monitis* et in margine „al. *munimentis*.“ *monitis* a Puteolano et reliquis vulgabatur. anonymus e codice Mirandulano *et suis monitis coercendum*. munimenta sunt castra, intra quae miles prae aviditate pugnandi vix coerceri s. retineri potuit. hanc enim significationem habet participium *coercitus*. Sall. Iug. 91 *genus hominum mobile*, *infidum ante*, *neque beneficio neque metu coercitum*. sic supra c. 18 *invictum*.

1. *militem accendendum adhuc ratus*] sic Broterius e cod. A idemque Maggioranius atque Clemens legisse videntur, quum nullam varietatis lectionem annotaverint; consentit codex Ursini; Puteolanus scripsit *militem adhuc ratus*, cuius in locum Rhenanus coniecit militem *alloquendum adhuc ratus;* etiam Lipsius verbum excidisse suspicatus est sive *acuendum* sive *incitandum*. Gronovius tentavit *militem adhortaturus*, Grotius *adhuc adhortatus* quod omisso v. *adhuc* expresserunt Ernest. Bip. Engel. Oberl. alii e recentioribus. Ursinus praeter codicis sui lectionem putat scribi posse *militem adhuc cohortandum ratus*, „ut est,“ ait, „in alio libro.“ (?) *adhuc* significat insuper, praeterea, ut supra c. 29. v. Hand. Tursell, 1, 163. locus nostro similis Hist., 1, 36 extr. *et quos adhuc singulos exstimulaverat*, *accendendos in commune ratus pro vallo castrorum ita coepit.*

2. *octavus annus est*] scilicet ex quo Britanniae praepositus erat. v. c. 9. nam annos a consulatu Agricolae esse computandos Walchius recte monuit. si computemus ab aestate, qua Agricola Britanniam intravit, annus est septimus, quem numerum Acidalius et Broterius maluerunt.

2. *virtute et auspiciis imperii Romani*] virtus non est constantia ut Peerlkamp interpretatur, qua a consilio vincendae Britanniae non fuerit discessum, sed suam habet potestatem. bella autem ab Augusti temporibus imperatorum auspiciis gerebantur. Horat. epist. 2, 1, 253 *tuisque auspiciis totum confecta duella per orbem*. Annal. 2, 41 *recepta signa cum Varo amissa*, *ductu Germanici*, *auspiciis Tiberii*. Sueton. Aug. 21 *domuit autem partim ductu partim auspiciis suis Cantabriam*. antiquis temporibus etiam populi romani auspiciis res gesta dicebatur. Liv. 30, 14 *Syphax populi Romani auspiciis victus captusque est*.

Britanniam vicistis. tot expeditionibus, tot proeliis, seu fortitudine adversus hostes seu patientia ac labore paene adversus ipsam rerum naturam opus fuit, neque me militum neque vos ducis poenituit. ergo egressi, ego veterum legatorum, vos priorum exercituum terminos, finem Britanniae non fama nec rumore, sed castris et armis tenemus. inventa Britannia et subacta. equidem saepe in agmine, quum vos paludes montesve et flumina fatigarent, fortissimi cuiusque voces audiebam, Quando dabitur hostis, quando acies? Veniunt, e latebris suis extrusi, et vota virtusque in aperto omniaque prona victoribus atque eadem victis adversa. nam ut superasse tantum itineris, silvas

1. *tot expeditionibus — poenituit*] rectam distinguendi rationem Peerlkamp monstravit. in tot expeditionibus et proeliis, sive opus fuit fortitudine sive patientia, neque me vestrae operae neque vos meae poenituit. ablativi enim *tot exped.*, *tot proel.* vulgo referebantur ad v. *opus fuit*.

7. *equidem saepe in agmine*] *saepe* in editionibus prioribus inde a Puteolano omissum e codice A inseruit Broterius, tum reliqui. etiam in altero codice Clemens hanc particulam legisse videtur.

9. *voces*] sic A et B; ex illo dederunt Broter. Ern. recentiores. in Put. 1, 2, Ven. est *voce*, ex quo Beroaldus ni fallor fecit *vocem* receptum ab Alciato, Rhenano, reliquis.

9. *quando dabitur hostis*] sic Ann. 2, 13 *veniret dies*, *daretur pugna*.

10. *quando acies*] ita in utroque codice scriptum esse colligo ex silentio Maggiorani et Clementis. idem Rhenanus tacite quidem sed praeclare emendavit ex Puteolani scriptura *quando animus*, unde Peerlkamp suspicabatur *quando pugnabimus*.

10. *e latebris*] A, B, Put. 1, 2, Ven. Alc. Rhen.; *a latebris* Berneggerus, Lipsius, alii, fortasse typothetarum errore. vetus Broterius atque Ernestius restituerunt.

10. *et vota virtusque in aperto*] quod Polybius dixit 6, 12 et 34 ἐν ὑπαίθροις. Lipsius. Muretus coniecit *en vota*.

11. *eadem victis adversa*] similiter Catilina apud Sallustium 58 *si vincimus*, *omnia nobis tuta erunt*, *commeatus abunde*, *coloniae atque municipia patebunt; sin metu cesserimus*, *eadem illa advorsa fient neque locus neque amicus quisquam teget*, *quem arma non texerint*.

12. *superasse*] e correctione Rhe-

evasisse, transisse aestuaria, pulchrum ac decorum in frontem, ita fugientibus periculosissima, quae hodie prosperrima sunt. neque enim nobis aut locorum eadem notitia aut commeatuum eadem abundantia, sed manus et arma et in his omnia. quod ad me attinet, iam pridem mihi decretum est neque exercitus neque ducis terga tuta esse. proinde et honesta mors turpi vita potior, et incolumitas ac decus eodem loco sita sunt: nec inglorium fuerit in ipso terrarum ac naturae fine cecidisse.
34 si novae gentes atque ignota acies constitisset, aliorum exercituum exemplis vos hortarer. nunc vestra decora recensete, vestros oculos interrogate. hi sunt, quos proximo anno unam legionem furto

nani; Puteolanus, Beroaldus, Alciatus *superesse;* illud etiam in codicibus scriptum esse suspicor, quum nihil monitum sit.

1. *in frontem*] opponitur *fugientibus*, neque tamen dictum esse puto pro *fronti* ut Walchius explicavit. rectius usum praepositionis exposuit Handius in Tursell. 3, 314. sed nondum intellexi cur dici non possit *in frontem proficisci* ut ego olim interpretatus sum, quod Walchius negavit. Doederleinius fortasse sic intellexit quum verteret *beim Vorrücken.*

2. *ita fugientibus*] hoc uterque codex habet (falsa fuerunt quae in prima editione de cod. A tradidi); Puteolanus scripsit *item* a Rhenano recte mutatum in *ita*. Puteolani lectionem a me olim revocatam recipiebant et defendebant Beckerus, Peerlkamp, recentiorum plerique, quibus accessit Handius in Tursell. 3, 516. sed codices sequamur.

2. *quae hodie prosperrima sunt*] Ernestius mavult *hostibus* pro *hodie*. sed particula significat *heute noch;* v. Hand. Tursell. 3, 98.

9. *naturae fine cecidisse*] eadem adhortatio in oratione Paullini apud Dion. Cass. 62, 11 *ἢ οὖν περιγενώμεθα αὐτῶν ἢ ἐνταῦθα ἀποθάνωμεν, καλὸν τὸ μνημεῖον τὴν Βρεττανίαν ἕξομεν.* Iustin. 2, 11, *nusquam victores honestius quam in hostium castris perituros.* PEERLKAMP.

11. *vestros*] Put. 1 *uros* per compendium, curva lineola supra imposita.

12. *hi sunt*] ex cod. B scripsi *hi* quod iam Peerlkamp maluit; alter codex, Puteolanus, reliqui *ii.* v. Kritz. ad Sallust. Catil. 1, 2 et qui ibi laudantur.

12. *furto noctis*] clam et noctu, uti Virgil. 9, 397 *fraude loci et noctis.* Curtius 4, 13, 9 *meae gloriae — furtum noctis obstare non*

noctis aggressos clamore debellastis; hi ceterorum Britannorum fugacissimi ideoque tam diu superstites. quomodo silvas saltusque penetrantibus fortissimum quodque animal contra ruere, pavida et inertia ipso agminis sono pelluntur: sic acerrimi Britannorum iam pridem ceciderunt; reliquus est numerus ignavorum et metuentium. quos quod tandem

patiar, *palam luce aggredi certum est.* BIPONT.

1. *hi ceterorum*] sic uterque codex quod recentiorum plerique receperunt. Puteolanus *ii* et hoc reliqui.

4. *contra ruere*] sic A teste Broterio et Maggioranio; idem B praebere videtur, quia eius scriptura cum Broterii textu consentit. *contra* excidit in Put. 1, 2, Ven. (in qua scriptum est *quotque*) Ber. Alc. verbum *ruere*, quod ita nude positum nullum habet sensum, Rhenanus tacite mutavit in *robore.* haec emendatio sane ingeniosa omnes deinceps editiones occupavit, donec Broterius ex cod. A veram lectionem Puteolani incuria corruptam restituit. Broterium iam alii sequuti sunt et nos quoque codicum auctoritatem sequimur, quidquid Walchius et Ritterus contra dixerunt. de verbo non est cur dubites; sic infra c. 37 *ultro ruere* et cfr. Burman. ad Phaedr. 5, 1. sed de verbi forma disputatum est. primus ni fallor Sellingius perfectum esse pro *ruerunt* dixit; consentit Rothius qui comm. p. 280 accuratius de Taciti usu formae *ere* pro *erunt* disputavit. horum sententiam alii probant. ego cum aliis hanc formam esse Infinitivum historicum semper putabam atque etiam nunc in eadem sum sententia. ne quem tam brevi intervallo coniuncta *ruere* et *pelluntur* offenderent, Peerlkamp laudavit consuetudinem Sallustianam, v. c. Catil. 21; sed exempla orationis variatae etiam apud Tacitum sunt et non pauca quidem. nonnulla collegit Boettich. in prolegom. p. 70, alia interpretes ad singulos locos adhibuerunt. sic Ann. 3, 20 *Tacfarinas — bellum in Africa renovat — vicos exscindere*, *trahere graves praedas*, *postremo — cohortem Romanam circumsedit.* 3, 26 *at postquam exui aequalitas et pro modestia ac pudore ambitio et vis incedebat.* 12, 51 *ubi quati uterus et viscera vibrantur.* Histor. 3, 10 *ubi crudescere seditio et a conviciis et probris ad tela et manus transibant.* ceterum *contra ruere* non est resistere ut Walthérus interpretatur, sed ultro impetum facere. summa autem comparationis haec est. ut ea animalia, quae non fugiunt, quin etiam ultro ruunt, fortissima sunt; ita ii Britanni, qui pugnantes ceciderunt, acerrimi fuerunt.

4. *pelluntur*] B *pellebantur.*

6. *quos quod tandem*] sic A et

invenistis, non restiterunt sed deprehensi sunt; novissimae res et extremo metu corpora defixere aciem in his vestigiis, in quibus pulchram et spectabilem victoriam ederetis.

B, Puteolanus (nisi quod in Puteol. 2 et Veneta *quod* scriptum est per compendium q cum linea transversa) Ber.| Alc. Rhenanus reliqui. in margine cod. A „*quod tamdium non invenistis restiterunt* — sic legend. puto." sed hoc nemo intelligit. Bipont. atque Engel. *quos quomodo tandem invenistis? non restiterunt* cet. ego in prima editione Schlüteri coniecturam *quos quum tandem* receperam, sed male. *quod* Beckerus recte explicavit, quod attinet ad.

1. *deprehensi sunt*] ut supra c. 7 *sie wurden ereilt*, *eingeholt*. vim verbi aperuit Gesnerus ad Plinii epist. 8, 14, 3. adde Burman. ad Phaedr. 4, 24, 20. Bentlei. ad Horat. od. 1, 14, 10. praeclarus est Quintiliani locus instit. orat. 12, 2, 14, ubi sensu proprio dictum est. *parva quaedam animalia*, *in angustiis mobilia*, *campo deprehenduntur*.

1. *novissimae res et extremo metu corpora defixere aciem in his vestigiis*] haec est lectio codicum (in A *novissime* et in utroque codice ante v. *novissimae* distinguitur) quam cum Rothio recepimus quum sensum satis tolerabilem praebeat. Puteol. 1, 2, Ven. Alc. *sunt novissime id et extr. metu corp. def. aciem in h. vest.* Rhenanus in textu dedit *deprehensi sunt novissimi*, *et extr. m. corp. defixere in his vest.*, in castigationibus „tu repone," inquit, „novissime, id est extremo metu," quod ad Broterium usque et Ernestium omnes sequebantur praeter Pichenam, qui scripsit *ideo extremo*. Broterius recepto e correctione Rhenani voc. *novissimi* cum ipsius interpunctione e cod. A voc. *res* admisit, *aciem* vero omisit. idem fere dederunt Bipont. Engel. Oberl., nisi quod scribunt *novissime* signo interpunctionis ante hoc verbum posito. reliquorum coniecturas referre longum est. in singulis verbis explicandis maximam partem Rothium sequimur. nolim tamen *novissimas res* interpretari *die Gränze der Welt*, sed potius *die Umstände*, *die Lage;* nam res, ut puto, corporibus opponuntur. *extremo metu corpora* coniuncta sunt tamquam hyphen. *extremus metus* non est summus sive maximus, uti coll. Sallust. Iug. 107 explicavi, sed ubi extrema metuuntur, *Todesangst*. porro *corpora* significant homines qui sui potentes non sunt, quasi machinae, sine animo, qui est hominis vigentis. *defixisse aciem* hostes dicuntur, quia sunt fugacissimi. metus autem eos defixit. Ann. 1, 68 *raro super milite et quasi ob metum defixo*. 13, 5 *ceteris pavore defixis*.

transigite cum expeditionibus; imponite quinquaginta annis magnum diem; approbate rei publicae, numquam exercitui imputari potuisse aut moras belli aut causas rebellandi.“

35 Et alloquente adhuc Agricola militum ardor eminebat, et finem orationis ingens alacritas consecuta est statimque ad arma discursum. instinctos ruentesque ita disposuit, ut peditum auxilia, quae octo milium erant, mediam aciem firmarent, equitum tria milia cornibus affunderentur. legiones pro vallo stetere, ingens victoriae decus citra Roma-

1. *transigite cum expeditionibus*] i. e. finite expeditiones. sumptum esse e re pecuniaria et forensi Ernestius monuit. finita est controversia, ubi cum litigatore, debitore, creditore transegimus. Germ. 29 *cum spe votoque uxoris semel transigitur.*

1. *quinquaginta annis*] numerus est rotundus, nam aliquot anni desunt.

2. *magnum diem*] ita vocant Latini diem, quo res in ultimum discrimen adducitur, res maxime clara patratur. v. Burman. ad Ovid. Amor. 3, 9, 27 et ad Lucan. 7, 90. Duker. ad Florum 2, 6, 58. Ern. Peerlkamp addidit Gronov. ad Iustin. 9, 3. Kort. ad Cicer. epist. 2, 12.

3. *imputari*] A *imputare.*

3. *aut moras*] *aut* omissum a Bipont. et Engel.

3. *causas rebellandi*] Rhenanus in textu *debellandi*, quod transiit in edit. Francof. et Colon. et a Lipsio emendatum est. sed typotheta aberravit, nam in castigationibus vulgata explicatur, quae de Britannis sit intelligenda.

4. *eminebat*] Arztius maluit *emicabat* ut Ann. 13, 16. huic autem verbo hic nullus est locus, quamquam *eminere* et *emicare* saepe confunduntur, v. Spalding. ad Quintil. 9, 2, 41 et de verbo *eminendi* cfr. idem ad 11, 3, 75 et Zumpt. ad Verr. 5, 62, 161.

6. *instinctos*] Lipsius maluit *instructos;* sed hoc sententiae non est congruens atque illud verbum Tacito in hac re solenne est; v. ad c. 16.

7. *octo milium*] genitivum ambo codices praebent; Puteolanus edidit *millia;* illud iam receperunt Beckerus, Peerlkamp, Hertelius, Rothius.

7. *mediam aciem firmarent*] *firmare* sensu ampliore accipiendum est pro *aciem firmam facere.* Ann. 13, 14 *nec id nobis virium erat quod firmando praesidio et capessendo bello divideretur*, ubi significat *firmum praesidium imponere*, quum nullae dum copiae Artaxatis praesidium agerent. Walchius laudavit

num sanguinem bellanti, et auxilium, si pellerentur. Britannorum acies in speciem simul ac terrorem editioribus locis constiterat ita, ut primum agmen aequo, ceteri per acclive iugum connexi velut insurgerent; media campi covi-

Liv. 22, 46 *dextrum cornu Numidis equitibus datum, media acie peditibus firmata.* 23, 29 *Hasdrubal mediam aciem Hispanis firmat.*

1. *bellanti*] sic B habet et Rhenanus lectore non monito scripsit; hunc omnes deinceps sequuti sunt. *bellandi* est in altero codice, Put. 1, 2, Ven. Alc. idque me auctore recentiorum plerique receperunt; sed defendi nequit. nam ut Rothius bene monuit, *bellandi* non potest pendere a v. *decus*, et praeterea generalem efficeret sententiam, quae ab hoc loco est aliena.

1. *pellerentur*] Gesnerus coniecit *pelleretur.* intelligendi sunt milites auxiliarii.

2. *in speciem simul ac terrorem*] i. e. ut multitudo eorum simul conspiceretur et terrorem Romanis iniiceret. Ann. 2, 6 *multae* (naves) — *augebantur alacritate militum in speciem ac terrorem.* 15, 9 *iam enim* (hostes) *subiectis campis magna specie volitabant.* ceterum Tacitus non semper particula *atque* utitur, quum altera res significatur simul cum altera posita esse vel exsistere, ut Handius docere videtur in Tursell. 1, 461. sic *simul et* legimus c. 6 et 7; solum *et* Germ. 38 *in altitudinem quandam et terrorem adituri bella compti — ornantur.*

3. *constiterat*] A et B, Broter. Ernest. recentiores. *constiterant* Puteolanus et reliqui.

3. *primum agmen aequo*] A et B, Puteolanus, Ber. Alciat. *agmine quo;* facilem et praeclaram emendationem debemus Rhenani ingenio, qui iterum, ut saepe, tacite correxit. Imman. Bekkerus scripsit *in aequo* quod non spreverim; nam praepositio, quamquam non est necessaria, latet in illo litterarum ductu *agminequo.* ceterum ad haec verba supplendum est *consisteret* ex verbo quod sequitur *insurgerent.*

4. *connexi*] ita B, Puteolanus et omnes fere ceteri. in cod. A est *convexi*, quod Beckerus, Peerlkamp, Hertelius, Rothius, alii receperunt, tamquam exquisitius et graphice dictum. nam transferri ad milites quod de colle proprie dicatur, ut legitur apud Plinium *leniter convexa iuga.* sed desidero exempla; ne in illo quidem Claudiani loco quem Hertelius adhibuit, satis certa est lectio. confundi autem haec verba satis constat. v. interpretes ad Cic. de nat. deor. 2, 44, 112 et ad Arat. fragm. v. 276.

4. *covinarius et eques*] A *convinnarius;* in B, P. 1, 2, Ven. Alc. *et* male omissum; restituit Rhenanus. *covinarii* sunt essedarii Caesaris; v. ad c. 12. covinus erat currus Belgarum, a quibus eum Britanni acceperant. v. Drakenb. ad Sil. Ital. 17, 418. Pompon. Mel. 3, 6, 60. ed. Abrah. Gronov. adde nunc Rothium ad h. l. et Böttich.

narius et eques strepitu ac discursu complebat. tum Agricola superante hostium multitudine veritus, ne simul in frontem simul et latera suorum pugnaretur, diductis ordinibus, quamquam porrectior acies futura erat et arcessendas plerique legiones admonebant, promptior in spem et firmus adversis dimisso equo pedes ante vexilla constitit.
ac primo congressu eminus certabatur. simul constantia 36
simul arte Britanni ingentibus gladiis et brevibus caetris

in lex. s. v. covinarius contra Walchium disputantes.

3. *et latera*] Gesnerus scripsit *et (in) latera.* quod quamquam caute fecit, tamen non necessarium esse ducimus. Tacitus praepositionem, quam semel posuit, ad alterum nomen omittit. Ann. 13, 21 *ubi nihil pro innocentia*, *quasi diffideret*, *nec beneficiis*, *quasi exprobraret*, *disseruit*. Hist. 1, 4 *finis Neronis — varios motus animorum non modo in urbe apud patres aut populum aut urbanum militem*, *sed omnes legiones ducesque conciverat.* 3,41 *ipse flexit in Umbriam atque inde Etruriam*, ubi Rhenanus e Budensi libro praepositionem male inseruit. Dial. 28 *filius — non in cella emptae nutricis sed gremio ac sinu matris educabatur.* de consuetudine Ciceronis v. Zumpt. ad divinat. in Caecil. 13, 41 et ad accus. in Verr. 2, 3, 7.

4. *quamquam porrectior*] Acidalius coniecit *q. parvo porr.* acies porrecta est quam Sallustius Iug. 49 extenuatam nominat; v. Kritz. ad illum locum.

5. *promptior in spem*] quamquam non omnino damnem hanc formam, tamen non dubito verum esse *pronior in spem.* ei verbo iam saepe *promptior* substitutum a librariis vidimus in Ann. et H. libris. Sueton. Ner. 40 *cui spei pronior.* Ern. Ann. 15, 25 *ne tam promptus in pavorem longiore sollicitudine aegresceret.* 15, 61 *nec sibi promptum in adulationes ingenium.*

6. *pedes*] abest ab editionibus Beckeri, Hertelii, Rothii.

6. *ante vexilla*] quae erant auxiliarium copiarum, opposita signis Romanorum.

7. *simul constantia*] A et B *simulque* receptum a Beckero, Peerlkampio, Hertelio, aliis. incipit pugnae descriptio, quare particula coniunctiva non est opus.

8. *caetris*] A *coetris;* Put. 1, 2, Ven. *caeteris*, quod Alciatus in annotationibus correxit. vulgo *cetris*, ut scribendum esse censuit Pierius ad Virgil. Aen. 7, 732. scriptura *caetra* firmata est ab Heinsio et Drakenb. ad Silium et Livium. scuta erant minora et lorea, peltis similia (Liv. 28, 5 *pelta caetrae haud dissimilis.* 31, 36 *caetratos, quos peltastas vocant).*

missilia nostrorum vitare vel excutere atque ipsi magnam vim telorum superfundere; donec Agricola tres Batavorum cohortes ac Tungrorum duas cohortatus est, ut rem ad mucrones ac manus adducerent, quod et ipsis vetustate militiae exercitatum et hostibus inhabile parva scuta et enormes gladios gerentibus. nam Britannorum gladii sine mucrone complexum armorum et in aperto pugnam non tolerabant. igitur ut Batavi miscere ictus, ferire umbonibus,

1. *magnam vim*] Put. 1 *magna.*

2. *superfundere*] Walchius comparavit Homericum ἐπιχεύειν, Iliad. 5, 618. 15, 589.

2. *tres Batavorum cohortes*] numerus ab utroque codice abest Maggioranio et Clemente testibus. Put. 1, 2, Ven. Alc. *per Bat.*, ex quo Rhenanus tacite numerum finxit. cum hic quoque addi debere quisquis videt.

3. *Tungrorum*] Put. 1, 2, Ven. Alc. *Tongrorum.* plurima exstant in Britannia harum cohortium monumenta. v. Gordon.

3. *ut rem*] sic codices ni fallor; nulla enim scripturae varietas notata. Put. 1 et 2 *rō*, quod compendium alibi *romani* significat; Ven. Alc. *ratio.* concinnitatem loco iterum reddidit tacita Rhenani emendatio.

4. *vetustate militiae*] barbari moris non quidem erat haec pugnandi ratio, sed quod diu apud Romanos militaverant, ab iis didicerant. HERTEL.

7. *complexum armorum*] i. e. pugnam, quae fit cominus, conserendis manibus. ERN.

7. *in aperto pugnam*] sic codices et libri impressi. Lipsius tentabat *in operto* aut *in opertos;* Schefferus in epistola ad Nic. Heinsium et Schelius ad Hygin. p. 140 *in aperta.* feliciorem Francisci Medicis emendationem *in arcto* Lipsius, Gesnerus, Broterius, Ernestius, alii vel laudabant vel recipiebant. vulgata tamen bene defenditur ab Hertelio et Rothio. *pugna in aperto* est *pugna aperta ein eigentliches*, *offenes Kämpfen*, ubi corpus magis obnoxium sive obiectum est gladiorum ictibus. *apertum* enim e ludo gladiatorio petitum esse, quod olim dixi, etiamnunc credo. itaque *complexus armorum* et *pugna in aperto* invicem se explicant.

7. *tolerabant*] Muretus atque Acidalius malunt *tolerant.*

ora foedare et stratis, qui in aequo adstiterant, erigere in colles aciem coepere; ceterae cohortes aemulatione et impetu commistae proximos quosque caedere, ac plerique semineces aut integri festinatione victoriae relinquebantur.

1. *foedare*] A *foede recti.* Gesnerus coniecit *fodere*, quod receperunt Beckerus, Peerlkamp, Rothius, Bachius, neque displicuit Hertelio. sic Ann. 2, 21 *nuda ora foderet.* sed etiam foedare proprium in vulneribus vocabulum est; v. Drakenb. ad Liv. 8, 10, 6 ubi eadem verborum confusio.

1. *et stratis*] A in contextu *et tractis*, in margine (pro *tractis*) „*trates vel traces.*" de altero nihil mihi constat; igitur cum Broterii textu consentit legitque *et tractis*, quod etiam omnes editiones veteres praebent. Muretus, Acidalius, Gesnerus corrigebant *fractis;* melius Ernestius *stratis* receptum a Bipont. Engel. Oberl. recentioribus. Broterius maluit *prostratis;* simplex verbum idem notat. Hist. 3, 17 *sternere obvios.* 3, 77 *sternunt inermos.*

1. *in aequo adstiterant*] sic uterque codex; Puteolanus *obstiterant* quod vulgo editur. illud Beckerus, Hertelius, Rothius, Bachius receperunt neque Ernestius improbavit. Bötticherus in lexico recte annotavit, *adsistere* peculiari prorsus significatione dictum videri, quam apud ceteros scriptores exprimat *consistere.* ita Ann. 2, 17 *duo hostium agmina diversa fuga, qui silvam tenuerant in aperta, qui campis adstiterant in silvam ruebant.* 2, 19 *hic pedes adstitit: equitem propinquis lucis texere.* Hist. 5, 16 *Civilis haud porrecto agmine, sed cuneis adstitit.*

2. *ceterae cohortes*] Put. 1, 2, Ven. Alc. *caetere* et mox Put. 1 *victorie.*

3. *commistae*] A *connistae*, B *connisae;* vulgata est a Puteolano. nescio an vera sit lectio codicis B; nam cum Batavorum et Tungrorum cohortibus commixtae esse non poterant reliquae cohortes; sed postquam illae erigere in colles aciem coepere, etiam ceterae procedunt simulque nituntur.

4. *festinatione victoriae*] v. de his ablativis Roth. p. 172. est *in der Eile des Sieges* vel *Beschleunigung des S.* verbum enim *festinandi* apud Tacitum saepe habet vim transitivam. eadem attribuitur substantivo. Hist. 3, 25 *per limitem viae sparguntur festinatione consectandi victores.*

interim equitum turmae fugere; covinarii peditum se proelio miscuere, et quamquam recentem terrorem intulerant, densis tamen hostium agminibus et inaequalibus locis haerebant minimeque equestres (ea enim pugnae facies erat), quum auriga tunc adstante simul equorum corporibus impellerentur, ac saepe vagi currus, exterriti sine rectoribus equi, ut quemque formido tulerat, transversos aut obvios

1. *equitum turmae fugere*] Lipsius corrigit *turmae effudere et cov.* aut potius *turmae effusae et covin.* Ernestius mavult *erupere*, quod expressit de Lamalle. Broterius qui vulgatum retinet in eo errat, quod Romanorum equites intelligit; sunt Britanni. *turma* autem de barbaris quoque dici potest. Ann. 14, 34 *Britannorum copiae passim per catervas et turmas exsultabant.* Walchius haec verba lacera esse contendit; sed v. Waltherum et Rothium.

1. *covinarii*] A *convinnarii.* peditum proelium, cui se miscuere, iam per acclives colles committebatur.

2. *recentem terrorem*] B *recentes*, quod fortasse defendi potest; erant enim recentes, qui nunc demum pugnae participes fierent. sed puto *recentem terrorem* dici ut apud Horatium carm. 2, 19, 5 *recenti mens trepidat metu.* alibi repens terror nominatur.

3. *hostium agminibus*] quum viris doctis non placeret Romanos a Tacito appellari hostes, Muretus et Gronovius coniecerunt *nostrorum*, Ernestius *cohortium*, quorum alterutrum probant Broterius, Arztius. ego nihil mutatum velim atque Britannos intelligo; loquitur enim Romanus; praeterea verba quae sequuntur hanc interpretationem postulant. peditum suorum agminibus et declivi loco impediebantur quominus suo more (v. ad c. 12) pugnarent.

4. *minimeque equestres* cet.] A et B, Puteolanus, Ber. Alc. hunc locum ita exhibent *equestres.* (sive minore interpunctione) *ea* (A *ea*[i]) *enim* (P. 1 compendiaria scribendi ratione *n.*, ex Dresdensi editionis Mediolanensis exemplari Schneiderus excerpsit *nam,*) *pugnae facies erat cum aegra* (A *egra*) *diu aut stante.* quae verba corrupta primus emendavit Rhenanus scribens *minimeque equestris ea pugnae facies erat, quum in gradu stantes* cet. atque haec erat lectio vulgata usque ad Broterium et Ernestium. Pichena putavit Tacitum debuisse scribere, minime *pedestris* pugnae faciem fuisse. Trillerus observat. critic. 4, 19 coniecit *min. eq. ea interim p. facies quum aegre clivo stantes*, unde *clivo* recentiorum nonnulli sumpserunt. Broterius atque Ernestius primam partem Rhenanae

incursabant. et Britanni, qui adhuc pugnae expertes summa 37 collium insederant et paucitatem nostrorum vacui spernebant, degredi paulatim et circumire terga vincentium coeperant; ni id ipsum veritus Agricola quatuor equitum alas

scripturae retinuerunt, ultima verba ita correxerunt *cum aegre diu stantes;* secuti sunt Oberlinus et Waltherus, et particula *tum* post *ea* inserta etiam Bipontinus, Engelius, Seebodius; hic praeterea *adstantes* correxit. alii aliter locum emendare conati sunt. ego quamquam omnium quae propositae sunt emendationum nullam ab omni parte probo, quum meliora praestare non possem, nunc Rothii instaurationem malui admittere quam vir doctissimus in annotatione ad h. l. tuitus est atque explicavit. olim suspicabar excidisse aliquid (idem Walchius suspicatur) et adhuc vereor, ne hic fons corruptionis fuerit. nam verba quae sequuntur *ac saepe — incursabant* nondum satis examinata esse mihi videntur, quomodo eorum sensus cum iis quae antecesserunt cohaereat. *transversos aut obvios* intelligunt pedites Britannorum, at neque de his est sermo, neque de equitibus quos Lipsius intellexit. covinarii autem decedere poterant.

1. *et Britanni*] *et* saepe id addit quod ex priore sententia consequitur, ut explicari possit *et ita*, *et sic*, *et tum*, quemadmodum Graeci *καὶ* pro *καὶ οὕτω*. saepe nihil impedit quominus explicemus *quae quum ita se habeant*, veluti h. l. Hand. in Tursell. 2, 484. v. ad c. 16 *et seditio.*

1. *summa collium*] Broterius in A legit *summam;* Maggioranius tacet.

2. *vacui*] i. pugna, adhuc expertes pugnae. *vacui* et *occupati* sibi opponuntur Hist. 4, 17 *proinde acciperent vacui occupatos.* absolute etiam Ann. 2, 46 *quia tres vacuas legiones et ducem fraudis ignarum perfidia deceperit.*

3. *degredi*] sic in utroque codice scriptum videtur et Pichena correxit; Puteolanus et editiones veteres legunt *digredi*, quod ego male revocavi.

3. *paulatim*] hanc formam A exhibet.

3. *coeperant; ni id ipsum*] eadem constructio saepius redit apud Tacitum. Hist. 2, 68 *apud victores orta seditio ludicro initio, ni numerus caesorum invidiam bello auxisset.* 3, 15 *et Britannia Galliaque et Hispania auxilia Vitellius acciverat, immensam belli luem, ni Antonius id ipsum metuens festinato proelio victoriam praecepisset.* 3, 46 *iamque castra legionum exscindere parabant, ni Mucianus sextam legionem opposuisset.* v. Zumpt. gr. § 519 et Roth. p. 255.

ad subita belli retentas venientibus opposuisset quantoque ferocius accucurrerant, tanto acrius pulsos in fugam disiecisset. ita consilium Britannorum in ipsos versum; transvectaeque praecepto ducis a fronte pugnantium alae aversam hostium aciem invasere. tum vero patentibus locis grande et atrox spectaculum: sequi, vulnerare, capere atque eosdem oblatis aliis trucidare. iam hostium, prout cuique ingenium erat, catervae armatorum paucioribus terga praestare; quidam inermes ultro ruere ac se morti offerre, passim arma et corpora et laceri artus et cruenta humus, et aliquando etiam victis ira virtusque. postquam silvis appropinquarunt, collecti primos sequentium incautos et locorum ignaros circumveniebant. quod ni frequens ubique Agricola validas et expeditas cohortes indaginis modo et, sicubi arctiora erant, partem equitum dimissis equis, simul

1. *ad subita belli*] Hist. 5, 13 *quando impetus et subita belli locus abnueret.* ib. 16 *dux sibi delectos retinuerat ad improvisa.*

2. *accucurrerant*] ex A scripsi; reliqui libri sine reduplicatione. Ann. 2, 7 *decucurrit.* Hist. 3, 12 *accucurrit.* v. Priscian. 10, 8 p. 503 ed. Krehl. Drakenb. ad Liv. 1, 12, 8.

5. *tum vero patentibus locis* cet.] haec Lipsius monuit e Sallustio sumpta esse, qui ita in Iug. 101 *tum spectaculum horribile campis patentibus: sequi, fugere: occidi, capi, equi, viri afflicti, ac multi vulneribus acceptis neque fugere posse, neque quietem pati; niti modo ac statim concidere; postremo omnia, qua visus erat, constrata telis, armis, cadaveribus, et inter ea humus infecta sanguine.*

7. *oblatis aliis*] ita codices, quod ex silentio Maggiorani et Clementis colligo; Puteol. 1, 2, Ven. Alc. *ablatis;* Rhenanus tacite correxit.

11. *victis ira virtusque*] e Virgil. Aen. 2, 367 *quondam etiam victis redit in praecordia virtus*, ut Pichena monuit.

11. *appropinquarunt* cet.] A et B *appropinquaverunt*, (in B forma contracta) *ite* (sic B, i. *item;* ex A Maggiorani excerpsit *ntem*, in quo idem verbum latet,) *primos sequentium incautos* (hoc verbum in prima editione male omisi) *collecti et locorum ignari circumven.* pro *item* fortasse scribi potest *iterum*, quae vocabula saepe permutantur; *ignari* autem corrigendum est in *gnari*, si quis codicum lectionem sequi malit, in qua tamen singulorum

rariores silvas equitem persultare iussisset, acceptum aliquod vulnus per nimiam fiduciam foret. ceterum ubi compositos firmis ordinibus sequi rursus videre; in fugam versi, non agminibus, ut prius, nec alius alium respectantes, rari et vitabundi invicem longinqua atque avia petiere. finis sequendi nox et satietas fuit. caesa hostium ad decem milia; nostrorum trecenti sexaginta cecidere, in quis Aulus Atticus praefectus cohortis iuvenili ardore et ferocia equi hostibus illatus.

38 et nox quidem gaudio praedaque laeta victoribus. Britanni palantes mixtoque virorum mulierumque ploratu trahere vulneratos, vocare integros, deserere domos ac per iram ultro incendere; eligere latebras et statim relinquere; miscere invicem consilia aliqua, dein separare; aliquando frangi adspectu pignorum suorum, saepius concitari, satisque constabat saevisse quosdam in coniuges ac

verborum collocatio mihi non placet. vulgata nititur Puteolani auctoritate; ab hoc enim profecta est. *incautus* active dictum vel pro participio, v. Roth. p. 214.

1. *rariores silvas*] *rarus* primariam habet significationem; silvae erant minus densae, *lichter Wald.*

1. *equitem persultare*] hoc A praebet deditque Rhenanus ex ingenio; alter codex *equites perlustrari*. Put. 1 *equitem* (non *equitum* ut est apud Waltherum) *persultari;* Put. 2, Ven. Alc. *equite persultari.*

1. *aliquod vulnus*] Ven. *aliquid.* mox Acidalius pessime *sed alius* pro *nec alius.*

3. *versi*] B *versis.*

4. *rari*] Bipont. atque Engel. *sed rari*, male. v. Passov. ad Germ. 10.

5. *et vitabundi invicem*] *einander ausweichend*, pro *se vitabundi;* v. Hand. Tursell. 3, 455.

6. *nox et satietas*] est syllepsis ut mox *gaudio praedaque laeta.*

6. *ad decem milia*] nescio unde Walchius scripsit *ad sex milia.*

7. *trecenti sexaginta*] e codicibus Vaticanis Broterius, Ernestius, recentiores. Puteolanus et reliqui *trecenti quadraginta*, quod Walchius in ed. maiore tenuit.

10. *Britanni*] A *Britannique.* particulae hic nullus est locus.

13. *dein separare*] quod Lipsius ingeniose suspicatus erat, Broterius e cod. A postea firmavit; idem Clemens in altero codice legit. Pu-

liberos, tamquam misererentur. proximus dies faciem victoriae latius aperuit. vastum ubique silentium, secreti colles, fumantia procul tecta, nemo exploratoribus obvius. quibus in omnem partem dimissis, ubi incerta fugae vestigia neque usquam conglobari hostes compertum et exacta iam aestate spargi bellum nequibat, in fines Horestorum exercitum deducit. ibi acceptis obsidibus praefecto classis circumvehi Britanniam praecepit. datae ad id vires et praecesserat terror. ipse peditem atque equites lento itinere, quo novarum gentium animi ipsa transitus mora ter-

teolanus et reliquae editiones usque ad Lipsium *sperare*. Grotius et Gruterus malebant *desperare*; anonymus e cod. Mirandulano *miscere invicem consilia aliquando, sperare*. accurate opponuntur *miscere consilia* et *separare consilia* (*zuerst berathschlagten sie gemeinsam, dann trennten sie sich und beschlossen ein jeder für sich*); *aliqua* autem monstrat, ut Hertelius monuit, quam incerti haeserint; nullum consilium iis satis placebat. Rothius comparavit *dividere defensionem* Ann. 3, 15. *ut secretis Augustae precibus veniam obtinuit, paulatim segregari a marito, dividere defensionem coepit.*

1. *tamquam misererentur*] B *misererent*, omissa fortasse lineola vel signo, quo pingi solent litterae *ur*. — non eos occidebant ex misericordia, tamquam maioribus poenis liberaturi, sed ex furore, qui sanguinem sitit. Peerlk.

2. *secreti colles*] Ern. putat *deserti*; Bipont. Engel. Oberl. *calles*. Ernestius secretos colles dicit esse remotiores; loca secreta opponuntur celebribus; in illis nulli homines. secretum significat solitudinem; sic c. 25 *maris secretum*. c. 31.

6. *spargi bellum*] Ann. 3, 21 *Tacfarinas perculsis Numidis et obsidia aspernantibus spargit bellum*. i. Ernestio interprete diversis locis vel diviso exercitu vel vagando bellum gerere.

6. *Horestorum*] A *Borest.*; in altero vulgata scriptura quam Puteolanus dedit. nomen aliunde ignotum. neque de populi sede inter doctos constat; equidem eos cum Mannerto circa Taum aestuarium habitasse credo.

8. *praecepit*] B *praecipit*, quod non defenderim. mox idem liber *terrentur* pro *terrerentur*. de circumnavigatione Britanniae Dio Cass. 66, 20 *κἀκ τούτου καὶ ἄλλους ὁ Ἀγρικόλας πειράσοντας τὸν περίπλουν πέμψας ἔμαθε καὶ παρ' ἐκείνων ὅτι νῆσός ἐστιν.*

rerentur, in hibernis locavit. et simul classis secunda tempestate ac fama Trutulensem portum tenuit, unde proximo Britanniae latere lecto omni redierat.

Hunc rerum cursum quamquam nulla verborum iactan- 39

1. *secunda tempestate ac fama*] Hertelius ex verbis *secunda temp.* simile verbum supplet ad voc. *fama;* famam esse i. q. gloriam; ob felicem enim successum famam sibi paravisse. quam explicationem non probo. fama respondet terrori; nam is praecesserat. itaque supple part. usa vel simile, aut verte *vom Wetter und Rufe begünstigt.*

2. *Trutulensem portum*] A in contextu *Trucculensem*, in margine „al. *Trutulensem*“ idque Puteolanus edidit. in altero codice *trutulens est: portum.* Rhenanus emendavit *Rutupensem.* sed prorsus ignotus est hic portus; fortasse idem est qui modo Trutulensis, modo Rutupensis aut Rutupinus (v. Bedae hist. eccles. 1, 25), a Ptolemaeo 2, 3 ῾Ρουτουπίαι, nunc Sandwich appellatur.

2. *proximo Britanniae latere lecto omni*] sic uterque codex (in margine A „al. *praelecto*“) et Puteolanus, nisi quod hic ordine verborum mutato *latere Britanniae lecto* scripsit. Rhenanus maluit *exierat;* Pichena *proximo litore Brit. l. omnis red.* et ita Ernestius edidit. Heumannus *tenuit quae* (i. classis) *proxime, litore Br. lecto omni, red.* Arztius *prolixo latere — omnis red.* voc. *omnis* etiam Broterius recepit. Doederleinius vers. p. 61 duas proposuit emendationes faciles aeque ac speciosas. nos cum Bipont. Engel. Oberlino, aliis vulgatam retinuimus. *unde* cum Ernestio referendum ad *lecto* neque cogitandum est de adverbiorum permutatione, quae non solum graecis sed etiam latinis scriptoribus est usitata. sensus est: unde egressa proximum latus Britanniae legerat et quo redierat. *proximo* non est adverbium sed adiectivum, quo Tacitus significare voluit, non totam insulam circumnavigatam sed proxima tantum latera et ea quidem omnia superata fuisse, scilicet latus orientale versus septemtrionem et partem lateris occidentalis. *latus legere* Tacitus fortasse sumsit a Virgilio qui primus quod sciam dixit legere oram, littora, freta; v. Eclog. 8, 7 (ad quem locum v. Io. Heinr. Vossium), Georg. 2, 44. Aen. 3, 127. 291. tum ita locutus est Livius, ut 21, 51 *decem navibus oram Italiae legens Ariminum pervenit.* 44, 10 *pervastatis finibus eius legentes oram Antigoneam perveniunt.* in verbo autem *redierat* nulla est enallage temporum, quod apparet ex perfecto *tenuit.*

4. *nulla*] B *in illa.*

tia epistolis Agricolae actum, ut Domitiano moris erat, fronte laetus, pectore anxius excepit. inerat conscientia derisui fuisse nuper falsum e Germania triumphum, emptis per commercia, quorum habitus et crines in captivorum

1. *actum*] sic A et B, Puteolanus, Alciatus; idem Rhenanus in textu, in castigationibus scribendum esse coniecit vel *relatum* vel *significatum* vel *lectum* cogitandumque proposuit, num sic quoque lectio stare queat, *epistolis Agricolae relatum Domitiano, ut moris erat.* Lipsius levissima correctione scripsit *auctum* ab omnibus deinceps receptum. veterem lectionem primus defendere conatus est Doederleinius in actis philol. usu verbi agitandi. tum tuebantur Beckerus et Rothius. atque hos viros doctissimos in recipienda codicum lectione secutus sum, quamquam usus verbi nondum satis idoneis exemplis firmatus est. sed ut illud facerem potissimum me movit, quod verbum augendi non convenire Agricolae moribus arbitror. is enim suam famam dissimulabat, non augebat. v. c. 18 extr.

1. *ut Domitiano moris erat*] sic A (in margine inverso ordine „*ut erat Dom. moris*") Puteol. Alc. Rhen. reliqui usque ad Ernestium et Bipontinum, qui ex B dederunt *ut Domitianus erat*. nostrum cur glossam sapiat nescio. c. 42 extr. *sciant quibus moris*. Hist. 1, 15 *ut moris est*. Germ. 13 *arma sumere non ante cuiquam moris*. 21 *abeunti, si quid poposcerit, concedere moris*. Plin. epist. 2, 19, 8 *ut illis erat moris*. 3, 21, 3 *fuit moris antiquis* ubi v. Schaefer. Vellei. Paterc. 2, 40, 3 *quem semper illi trahere moris fuit*.

2. *excepit*] est a Puteolano neque aliter in cod. A legit Maggiorani; Broterius tamen ex eodem libro notavit *excipit*. B *coepit*.

3. *falsum e Germania triumphum*] Domitianus in Germaniam contra Chattos erat profectus et ne viso quidem hoste quum Romam revertit, triumphavit a. u. 837. v. Dion. 67, 4. *mimicum* triumphum appellat Plin. paneg. 16, 3. de praepositione Walchius comparavit Plutarch. Fab. 24 *θριάμβους ἐκ πολέμων μεγίστων ἐπιφανεστάτους καταγαγεῖν*, ut locus significetur unde victoria sit reportata. Handius in Tursell. 2, 638 existimat praepositione causae notionem significari.

3. *emptis — quorum habitus — formarentur*] id primus fecerat Caligula ut narrat Sueton. 47. *Conversus hinc ad curam triumphi praeter captivos et transfugas barbaros Galliarum quoque procerissimum quemque — ac nonnullos ex principibus legit ac seposuit ad pompam coegitque non tantum rutilare et submittere comam sed et sermonem Germanicum addiscere et nomina barbarica ferre.*

4. *crines*] A *crinis*, receptum a Beckero, Peerlkampio, Hertelio,

speciem formarentur, at nunc veram magnamque victoriam tot milibus hostium caesis ingenti fama celebrari. id sibi maxime formidolosum privati hominis nomen supra principis attolli: frustra studia fori et civilium artium decus in silentium acta, si militarem gloriam alius occuparet; et cetera utcunque facilius dissimulari, ducis boni imperatoriam virtutem esse. talibus curis exercitus quodque saevae cogitationis indicium erat, secreto suo satiatus optimum in praesentia statuit reponere odium, donec impetus famae et

Rothio. sed v. Conr. Leop. Schneideri gr. lat. 2, 1, 239.

1. *at nunc*] hoc et Maggiorani et Clemens in suo uterque codice legerunt et Rhenanus ex correctione scripsit. ego in prima editione nihil de cod. A dixeram, quare Beckerus inconsideratius alteram lectionem huic codici attribuit. Puteolanus edidit *ac* quod Seebodio et Doederleinio auctoribus olim revocavi. et alii secuti sunt et Handius in Turs. 1, 491 coniunctionem copulativam defendit. sed quamvis ferri posse concedam, nunc codicum auctoritati obtemperare malui. ceterum ad haec verba et ad ea quae sequuntur supplendum est *reputabat* sive *existimabat*.

2. *tot milibus*] in editionibus Beroaldi atque Alciati *militibus*, quem typographi errorem Rhenanus correxit.

4. *studia fori et civilium artium decus*] haec Rothius optime explicavit, quem adi. *in silentium agere machen, dass etwas verstummt*, solus Tacitus hoc loco dixisse videtur.

5. *si militarem gloriam alius occuparet*] Lipsius tentabat *altius*, quod Pichena edidit, vel *artius* sive *arctius*. nihil opus est correctione.

6. *utcunque facilius*] Ernestius omissum vult *facilius* tanquam glossam interpretantis v. *utcunque*. sed vide Walchium et Rothium. *utcumque* absolute positum significat *immerhin, immer noch*. prope enunciationis integrae instar est atque elliptice dictum.

7. *curis exercitus*] Peerlkamp laudavit Ovid. metamorph. 13, 295 *pectora curis exercita* et Ruhnk. ad Vellei. 2, 33.

8. *secreto suo satiatus*] depingit hoc secretum sive solitudinem Plin. panegyr. 48 *nec salutationes tuas fuga et vastitas sequitur. remoramur, resistimus ut in communi domo, quam nuper illa immanissima bellua plurimo terrore munierat, quum velut quodam specu inclusa nunc propinquorum sanguinem lamberet, nunc se ad clarissimorum civium strages caedesque proferret. — non adire quisquam, non alloqui audebat tenebras sem-*

favor exercitus languesceret. nam etiamtum Agricola Bri-
40 tanniam obtinebat. igitur triumphalia ornamenta et illu-
stris statuae honorem et quidquid pro triumpho datur multo verborum honore cumulata decerni in senatu iubet, addique insuper opinionem Syriam provinciam Agricolae destinari, vacuam tum morte Atilii Rufi consularis et maioribus reservatam. credidere plerique libertum ex secretioribus ministeriis missum ad Agricolam codicillos, quibus ei Syria dabatur, tulisse cum praecepto, ut, si in Britannia foret, tra-

per secretumque captantem nec unquam ex solitudine sua prodeuntem, nisi ut solitudinem faceret.

1. *etiamtum*] Ernestius voluit *etiamnum;* v. Hand. Turs. 2, 598.

2. *triumphalia ornamenta*] eadem tradit Dio Cass. 66, 20 *καὶ τέλος ἐσφάγη διὰ ταῦτα ὑπὸ Δομιτιανοῦ, καίπερ τὰς ἐπινικίους τιμὰς παρ' αὐτοῦ τούτου λαβών.* *triumphalia ornamenta* sunt corona laurea, toga praetexta, tunica palmata, sella curulis, statua quae h. l. *illustris*, Ann. 4, 23 *laureata*, Ann. 15, 72 et Hist. 1, 79 *triumphalis* nominatur. inde enim ab Augusto triumphus ipse nonnisi imperatori aut caesaribus concedebatur; duces tantum triumphalibus ornamentis decorabantur.

3. *quidquid pro triumpho datur*] praeter illa quae supra dixi ornamenta etiam sacrificia et supplicationes ducis nomine offerebantur. Dio Cass. 54, 24 *καὶ ἐπ' αὐτοῖς θυσίαι μὲν τῷ τοῦ Ἀγρίππου ὀνόματι ἐγένοντο, οὐ μέντοι καὶ τὰ ἐπινίκια καίτοι ψηφισθέντα αὐτῷ ἐπέμφθη. οὔτε γὰρ ἔγραψεν ἀρχὴν ἐς τὸ συνέδριον ὑπὲρ τῶν πραχθέντων οὐδέν. ἀφ' οὗ δὴ καὶ οἱ μετὰ ταῦτα νόμῳ τινὶ τῷ ἐκείνου τρόπῳ χρώμενοι οὐδ' αὐτοὶ τῷ κοινῷ ἔτ' ἐπέστελλον οὔτε τὴν πέμψιν τῶν νικητηρίων ἐδέξαντο. καὶ διὰ τοῦτο οὐδ' ἄλλῳ τινὶ ἔτι τῶν ὁμοίων αὐτῷ (ὥς γε καὶ ἐγὼ κρίνω) ποιῆσαι τοῦτο ἐδόθη, ἀλλὰ μόναις ταῖς ἐπινικίοις τιμαῖς ἐγαυροῦντο.*

4. *addique*] sic codices et editiones veteres. Muretus coniecit *additque* quod Ernestio placuit et receptum est a Bipont. Engel. Oberl. aliis. sed recte monuit Peerlkamp alterum magis esse ex ingenio Domitiani. is enim omnia simulat et dissimulat, iubet potius addi opinionem, quam ipse addit. addi nempe ab aliquo quem iusserat opinionem spargere, Domitianum Agricolae Syriam destinare. nam revera Domitianus non destinaverat.

5. *Syriam provinciam*] in cuius ut opulentissimae provinciae administratione plurimum et dignitatis et emolumenti positum erat. v. Herodian. 2, 27.

6. *Atilii Rufi*] A *Atili.* Put. 1, 2, Ven. *Ruffi.*

9. *in Britannia foret*] uterque

derentur; eumque libertum in ipso freto oceani obvium Agricolae ne appellato quidem eo ad Domitianum remeasse, sive verum istud sive ex ingenio principis fictum ac compositum est. tradiderat interim Agricola successori suo provinciam quietam tutamque. ac ne notabilis celebritate et frequentia occurrentium introitus esset, vitato amicorum officio noctu in urbem, noctu in palatium, ita ut praeceptum erat, venit, exceptusque brevi osculo et nullo sermone turbae servientium immixtus est. ceterum uti militare nomen grave inter otiosos aliis virtutibus temperaret, tranquillitatem atque otium penitus auxit, cultu modicus, sermone facilis, uno aut altero amicorum comitatus, adeo ut plerique,

codex *in Britanniam*, quod Peerlkamp copia similium exemplorum confirmari posse dixit. vellem, vir doctissimus confirmasset. forsitan comparari possit Cicero ad Attic. 15, 4, 2 *ut certior fieret, quo die in Tusculanum essem futurus*, quod Orellius retinuit, quamquam alii libri praebent *venturus*. illae autem antiquae formulae, quales sunt *esse in potestatem* et huic similes, comparari non possunt. lege doctissimam Handii disquisitionem de variis harum dictionum generibus in Tursell. 3, 344 sqq.

4. *successori suo*] fortasse is fuit Sallustius Lucullus, qui et ipse a Domitiano interemtus est, *quod lanceas novae formae appellari Luculleas passus esset;* Sueton. Domit. 10.

5. *notabilis*] est insignis, *auffallend*, *Aufsehen erregend;* vim vocabuli iam Rhenanus notavit in thes. locut. p. 52. adde Gesner. ad Plin. epist. 3, 11, 2. 9, 13, 10.

6. *amicorum officio*] i. salutatione. v. Cic. p. Mur. 33 et Ernest. clav.

7. *praeceptum erat*] B *praetemptum.* Broterio teste in mediis quibusdam editionibus *erat* omissum est.

8. *brevi osculo*] raptim impertito, quippe quod ex more magis quam affectu daret, interprete Buchnero. sic etiam Ann. 13, 18 Nero matri breve osculum obtulisse narratur. de superbia principum in osculo v. Gierig. ad Plin. paneg. 23.

8. *turbae*] in B omissum. mox Venet. *immixtum.*

9. *uti*] sic A a plerisque recentiorum receptum. eadem forma Ann. 1, 3. 15, 43. 60. vulgo *ut*, quod est in B et Puteolanus edidit.

11. *penitus auxit*] de otio Agricolae antea non loquitur Tacitus, et tamen hic dicit illud ab eo auctum. scilicet *augere otium* est sequi altissimum otium. Agric. 14

quibus magnos viros per ambitionem aestimare mos est, viso adspectoque Agricola quaererent famam, pauci interpretarentur. 41 crebro per eos dies apud Domitianum absens accusatus, absens absolutus est. causa periculi non crimen ullum aut querela laesi cuiusquam, sed infensus virtutibus princeps et gloria viri ac, pessimum inimicorum genus, laudantes. et ea insecuta sunt rei publicae tempora, quae sileri Agricolam non sinerent; tot exercitus in Moesia Daciaque et Germania et Pannonia temeritate aut per igna-

per quae fama aucti officii quaereretur, i. ut videretur diligentissime officio satisfecisse. Ann. 11, 19 *is terror milites hostesque in diversum affecit. nos virtutem auximus, barbari ferociam infregere.* i. nos magnum animum accepimus. Peerlk. Seebodius *peritus* fortasse operarum errore. *penitus* significat prorsus, omnino, valde; cfr. Roth.

1. *per ambitionem aestimare*] i. e. ex vitae splendore, frequente comitatu, cet. ita Plin. epist. 1, 14, 5 *Minutius Macrinus — honestam quietem huic nostrae, ambitioni dicam an dignitati, constantissime praetulit.* Panegyr. 83, 8 *an quum videat, quam te nullus terror, nulla comitetur ambitio, non et ipsa cum silentio incedat?*

2. *quaererent famam, pauci interpretarentur*] Put. 1 *paucis.* „Posset etiam legi *quaererent tamen.*“ Rhenanus. Male; sensus: plerique desiderarent in eo splendorem, quem tanta fama postularet, vix crederent hunc esse illum tantum tamque celebratum virum, pauci causas requirerent, propter quas ita se demiserit et ad illas angustias se redegerit, aut intelligerent id invidiae effugiendae causa factum. Ern. v. Burman. ad Quintil. 12, 11, 2 *ne se quaerat priorem.* de verbo *interpretandi* v. Lips. ad Hist. 2, 39. sic iam c. 15. ceterum Peerlkamp recte monuit ad v. *interpretarentur* non supplendum esse *famam;* sed interpretari illud non potuerunt, quod tantus vir adeo ab omni ambitione abhorreret.

3. *absens absolutus*] Anton. Augustinus malebat *praesens absol.*

5. *infensus*] de usu adiectivi pro substantivo v. Roth. p. 186.

6. *laudantes. et ea*] B sine distinctione.

8. *tot exercitus* cet.] v. Sueton. Domit. 6. Dion. Cass. 67, 6. 7. respicit ad bellum Dacicum; v. Zumptii annales s. a. u. 839. ceterae res parum notae.

8. *Moesia*] A *Misia;* B ni fallor vulgatam praebet: Puteol. 1, 2, Ven. Alc. Rhen. *Mysia;* nescio quis correxit, fortasse Lipsius.

9. *et Pannonia*] sic A et B; ex illo iam receperunt Beckerus, Her-

viam ducum amissi: tot militares viri cum tot cohortibus expugnati et capti: nec iam de limite imperii et ripa sed de hibernis legionum et possessione dubitatum. ita quum damna damnis continuarentur atque omnis annus funeribus et cladibus insigniretur, poscebatur ore vulgi dux Agricola, comparantibus cunctis vigorem, constantiam et expertum bellis animum cum inertia et formidine eorum. quibus ser-

telius, Rothius, Bachius. *Pannoniaque* Puteolanus et reliqui. de concursu particularum *que — et — et* v. ad c. 18.

1. *militares viri — expugnati*] nonnulli, qui in verbo *expugnati* offenderent, locum vel sanissimum corrumpebant. Lipsius coniecit *tot militares numeri*, Gronovius *militares vici*, cui assentiuntur Heins. ad Vellei. 2, 115 et Arztius qui id quidem vertit, in annotatione vero proposuit *militares viri — trucidati*. censor eruditus in ephemer. litt. Ienens. a 1816 fasc. 128 emendationi Gronovianae quam amplectitur alteram sane ingeniosam addit scribens *tot limitares vici*. vulgatum Broterius, Ernestius, alii defenderunt. *militaris* belli peritiam virtutemque designat. v. Böttich. lexic. *expugnare* autem interprete Forcellino proprie est pugnando vincere aut capere. Walchius comparavit *ἐκπολιορκεῖν* e Thucyd. 1, 131. 134. similis dictionis exempla collegit Böttich. in proleg. p. 100.

2. *de limite imperii et ripa* cet.] *limes* et praecipue *ripa* apud historiarum scriptores saepe Rhenum significat, interdum Danubium, ut hoc loco. Germ. 17 utrumque flumen intelligi potest. quae hiberna sint intelligenda, dici nequit. erant in ipso limite. — A *hybernis*.

4. *funeribus et cladibus*] illa spectant ad singulos, i. viros militares; hae ad cohortes sive exercitus.

6. *vigorem, constantiam*] B *vigorem et constantiam*.

6. *expertum bellis animum*] cfr. Heins. ad Hist. 2, 4 *inexperti belli labor*.

7. *cum inertia et formidine*] in margine A „*al. inerciae et formidini.*"

7. *eorum*] retinui lectionem codicum et editionum principum, quamquam neutiquam est vera. Grotius corrigit *ceterorum*, Ernestius paulum infelicius *caesorum*, Bipont. atque Engel. *aliorum*, Seebod. *horum*, alii *priorum* aut *illorum*, i. ducum quorum temeritate aut ignavia exercitus erant amissi. Rothius, quem Bachius sequitur, membrum sententiae excidisse arbitratur, quod fortasse inchoabat a relativo *quibus*, unde factum sit ut scriba statim transiret ad alterum pronomen eiusdem formae.

monibus satis constat Domitiani quoque aures verberatas, dum optimus quisque libertorum amore et fide, pessimi malignitate et livore pronum deterioribus principem exstimulabant. sic Agricola simul suis virtutibus simul vitiis aliorum in ipsam gloriam praeceps agebatur.

42 Aderat iam annus, quo proconsulatum Asiae et Africae sortiretur, et occiso Civica nuper nec Agricolae consilium deerat nec Domitiano exemplum. accessere quidam cogitationum principis periti, qui, iturusne esset in provinciam, ultro Agricolam interrogarent. ac primo occultius quietem et otium laudare, mox operam suam in approbanda excusatione offerre; postremo non tam obscuri, suadentes simul terrentesque pertraxere ad Domitianum. qui paratus

1. *Domitiani*] B *Domitianum.*

2. *dum — exstimulabant*] v. Zumpt. gr. § 507. Hand. Tursell. 2, 304.

4. *simul — praeceps agebatur*] duae sententiae, quarum altera v. *praeceps* indicatur, in unam contractae sunt. Walchius ita circumscribit: sic virtutibus suis, quae livore et malignitate hominum attollebantur, invito gloria aucta, simulque pernicies accelerata.

6. *Asiae et Africae*] Lipsius et Danesius *Asiae aut Africae*, sed vulgatum rectum, ut monet Mercer. ad Ann. 3, 32. utraque provincia in sortem coniecta. Ern.

7. *occiso Civica nuper*] Put. 1, 2, Ven. Alc. *Cinica.* Sueton. Domit. 10 *complures senatores et in his aliquot consulares interemit, in quibus Civicam Cerealem in ipso Asiae proconsulatu.* igitur neque Domitiano exemplum defuit ad audendum neque Agricolae consilium deesse potuit provinciam recusandi, ut iram principis effugeret.

10. *occultius*] Venet. et Alc. *occultus*, quod Rhenanus tacite correxit.

12. *non tam obscuri*] sic A et B, Puteol. 1, 2, Ven. Alc. *iam* Rhenanus emendavit et ita omnes deinceps scripserunt. veterum librorum lectionem primus tuebatur Doederleinius, tum recentiorum plerique receperunt. quod si vera est haec lectio, sane rarissimum est ellipsis exemplum.

13. *terrentesque*] Put. 1 (2 ?) Venet. Alc. *terentesque.* Rhenanus tacite correxit.

13. *pertraxere*] Dial. 17, 5 *ita si eum — vel captivitas vel voluntas vel fatum aliquod in urbem pertraxisset.*

14. *paratus simulatione*] sic codices Vaticani, Puteolanus et qui

simulatione, in arrogantiam compositus et audiit preces excusantis et, quum annuisset, agi sibi gratias passus est, nec erubuit beneficii invidia; salarium tamen proconsulari solitum offerri et quibusdam a se ipso concessum Agricolae non dedit, sive offensus non petitum, sive ex conscientia, ne, quod vetuerat, videretur emisse. proprium humani ingenii est odisse, quem laeseris: Domitiani vero natura praeceps in iram et quo obscurior, eo irrevocabilior, moderatione

hunc sequi solent. in margine cod. A Broterius scriptum esse refert *simulationis*, at Maggioranius tacet. Boxhornius, qui primus offendit in his verbis, interpunxit post v. *paratus* et coniunxit v. *simulatione* cum *compositus*, quod Peerlkamp verum putat. Ernestius emendavit *parata simulatione;* Bipont. Engel. Oberl. *paratus simulationi*; Doederl. vers. p. 62 *is paratus, simulatione et vultu.* vulgatam cum recentioribus retinuimus, in qua idem est sensus quem Ernestius emendatione quaerebat; Domitianus erat paratus simulatione (*ausgerüstet mit Verstellung*), quam in potestate haberet, qua facile quavis in re et quovis tempore uteretur.

1. *preces excusantis*] absolute item dicitur Dial. 5 *ut in his cognitionibus excusent* ubi Pithoeum male sequuti sumus. Sueton. Octav. 33 *servavitque etiam excusantibus insigne vestis* ad quem locum v. Oudendorp.

3. *beneficii invidia*] Ernestius coniecit *iniuria* ut ὀξύμωρον sit. sensus est, non erubuit cum gratiae sibi agerentur pro beneficio tam invidioso, *über das Gehässige seiner Gnade.* invidia dicitur de re invidiosa Ann. 13, 15. Hist. 1, 82. — Ann. 6, 23 *consultus* (Nero) *an sepeliri sineret* (Agrippinam), *non erubuit permittere.* Pichena laudavit Senec. de benef. 4, 17 qui locus nostrum illustrat. *quis est, qui non beneficus videri velit? qui non inter scelera et iniurias opinionem bonitatis affectet? qui non ipsis, quae impotentissime fecit, speciem aliquam induat recti? velit quoque iis videri beneficium dedisse, quos laesit? gratias itaque agi sibi ab his, quos afflixere, patiuntur.*

3. *salarium*] quantum fuerit, refert Dio Cass. 78, 22 τούτῳ γὰρ (Αὐφιδίῳ Φρόντωνι) οὔτε τὴν Ἀφρικὴν κατακληρωσαμένῳ ἐπέτρεψε (ὁ Μακρῖνος) τῶν Ἄφρων αὐτὸν παραιτησαμένων, οὔτε τὴν Ἀσίαν, καίτοι μεταθεὶς αὐτὸν ἐκεῖσε πρότερον. τό γε μὴν ἱκνούμενον γέρας καὶ οἴκοι μείναντι αὐτῷ, τὰς πέντε καὶ εἴκοσι μυριάδας, δοθῆναι ἐσηγήσατο.

7. *odisse, quem laeseris*] Seneca de ira 2, 33 *hoc habent pessimum animi magna fortuna insolentes, quos laeserunt, et oderunt.*

8. *irrevocabilior*] i. e. implacabilior; hoc minus revocari ab ira et proposito perdendi poterat. Ern.

tamen prudentiaque Agricolae leniebatur, quia non contumacia neque inani iactatione libertatis famam fatumque provocabat. sciant, quibus moris est illicita mirari, posse etiam sub malis principibus magnos viros esse, obsequiumque ac modestiam, si industria ac vigor adsint, eo laudis excedere, quo plerique per abrupta, sed in nullum rei publicae usum ambitiosa morte inclaruerunt.

3. *quibus moris est*] sic A et B, Put. 1 et 2; ex cod. A restituerunt Broterius atque Ernestius. in Veneta primum excidit *est*, tum reliqui omiserunt.

3. *illicita mirari*] nescio unde Waltherus cognoverit in Put. Mediolan. (i. 2) et Veneta scriptum esse *inclita;* equidem nihil tale vidi. Doederl. vers. p. 62 haeret in significatione v. *illicita* atque coniicit *in licentia.* cum Broterio intelligimus omnia quae ex contumacia et nimio inanique libertatis studio atque iactatione proficiscuntur, qualia multi illius aetatis Stoici faciebant. v. Walch. vides, quid Tacitus senserit de hoc intempestivo studio. comparari possunt quae c. 4 extr. dixit et Ann. 4, 20 *unde dubitare cogor — an sit aliquid in nostris consiliis liceatque inter abruptam contumaciam et deforme obsequium pergere iter ambitione ac periculis vacuum.*

6. *excedere*] Lipsius maluit *accedere* vel potius *escendere;* Seebodius dedit *excellere.* Ruhnkenius autem ad Rutil. Lup. 1, 13 melius esse censet, vulgatum non movere; nam eo modo non semel loqui Valerium Max., ut 5, 6, 4 *res publica procedente tempore ad summum imperii fastigium excessit.* olim laudavi Ann. 2, 24 *tantum illa clades novitate et magnitudine excessit.* Vellei. 2, 68 *in hoc tamen saepe lacessiti principis ira excessit.* sed nostro loco est brachylogia quaedam quam interpreteris ad eandem laudem pervenire atque etiam excedere i. eam superare.

6. *per abrupta*] v. Roth. excurs. p. 238.

6. *in nullum rei publicae usum*] sic B idemque Ursinus in suo codice se invenisse perhibet. A in contextu *in ullum rei post usum,* in margine ,,alii *in nullum re p̄ usum.*" Puteolanus edidit *in nullum rei post usum* quod retinebatur donec Muretus ac Mercerus emendarunt vulgatam. sequuti sunt Pichena, Broterius, Ernestius, recentiorum plerique. ego nuper cum aliis Puteolani scripturam revocavi, cuius sensus non tam ineptus est et absurdus, ut Walchio et Walthero videtur; sane ipsi quidem nullum fructum postea capere potuerunt; sed res aliis usum afferre poterat. attamen altera lectio veram praebet sententiam.

7. *inclaruerunt*] Walchius interpretatur *clarescentes pervene-*

Finis vitae eius nobis luctuosus, amicis tristis, extraneis etiam ignotisque non sine cura fuit. vulgus quoque et hic aliud agens populus et ventitavere ad domum et per fora et circulos locuti sunt, nec quisquam audita morte Agricolae aut laetatus est aut statim oblitus est. augebat miserationem constans rumor veneno interceptum. nobis nihil 43

runt et comparavit Hist. 2, 35 *erat insula — in quam gladiatores navibus molientes, Germani nando praelabebantur*, i. praelabentes pervenerunt.

1. *extraneis etiam ignotisque*] idem fere de Germanico praedicat Ann. 2, 71 *flebunt Germanicum etiam ignoti.* ad Agricolam vulgo referunt Antiphili Byzantini epigramma in Brunckii anthol. 2, 180 (anthol. Palat. 2, 194)

Κρηναῖαι λιβάδες, τί πεφεύγατε; ποῦ τόσον ὕδωρ;
τίς φλὸξ ἀενάους ἔσβεσεν ἠελίου;
δάκρυσιν Ἀγρικόλαο τετρύμεθα. πᾶν δ' ὅσον ἡμῖν
ἦν ποτὸν ἡ κείνου διψὰς ἔχει σποδιή.

quod eleganter vertit Grotius:

Quo fontis latices, quo copia vestra recessit?
perpetuas Solis quis calor hausit aquas?
Agricolae luctu consumimur: illius ante
humida, nunc fiunt pulverulenta siti.

2. *vulgus quoque et populus*] sic Dial. 7 *quos saepius vulgus quoque imperitum et tunicatus hic populus transeuntes nomine vocat?*

3. *aliud agens*] sic in utroque codice scriptum esse evincitur Maggiorani et Clementis silentio; idem Rhenanus in castigationibus emendavit et Walchio teste iam Rivius edidit. in Puteolani et Alciati editionibus est *alius*. Bipontinus maluit *nec hoc alias agens* quod etiam Engelio placet. *aliud agere* is dicitur qui animum non advertit ad id quod fit. aliud agens populus idem est quod c. 1 incuriosa suorum aetas.

4. *et circulos*] B *et per circulos*; v. ad c. 35 *et latera.*

5. *laetatus est aut statim oblitus est*] alterutrum *est* delendum monuit Acidalius; de posteriore ita voluerat Muretus, quem sequitur Oberlinus. censor in ephemer. Ienens. a. 1816 no 127 primum expungit, quod sane est concinnius; v. cap. 4. 7. 9. cet. malui tamen librorum sequi auctoritatem.

6. *veneno interceptum*] Dio Cassius 66, 20 rem ita fuisse testatur.

6. *nobis nihil comperti affirmare ausim*] Puteol. 1, 2, Ven. Alc. *vobis* a Gesnero servatum; Rhenanus emendavit quod Maggioranius et Clemens in codicibus legisse videntur, quum taceant. Acidalius suspicatus est periisse rela-

comperti affirmare ausim. ceterum per omnem valetudinem eius crebrius quam ex more principatus per nuntios visentis et libertorum primi et medicorum intimi venere, sive cura illud sive inquisitio erat. supremo quidem die momenta ipsa deficientis per dispositos cursores nuntiata constabat nullo credente sic accelerari, quae tristis audiret.

tivum *quod* et legendum *quod affirmare ausim.* Peerlkamp mutata distinctione coniecit *nobis nihil compertum, affirmare ausim;* Walchius *nobis nihil compertum, quod affirmare ausim.* sensus quidem non obscurus, sed dictio iusto brevior et difficilis explicatu, quam Rothius ex familiari sermone petitam esse opinatur. Ernestio et Bipontinis durior visa est oratio, quod in eadem sententia sit et pluralis *nobis* et singularis *ausim;* sed sic etiam Cicero nonnunquam loquitur. ad divers. 2, 11 *totum negotium non est dignum viribus nostris, qui maiora onera in re publica sustinere et possim et debeam.* 13, 6 *me ex intima nostra arte deprompturum.* ad Attic. 4, 1 *Dyrrhachio sum profectus ipso illo die, quo lex est lata de nobis.* quamquam *nobis* non de se solo Tacitus dixit sed se et uxorem et socrum intellexit.

2. *principatus*] Ursinus, Muretus, Acidalius, Bipont. Engel. *principis.* at non solus Domitianus est intelligendus.

3. *visentis*] B *viseritis.*

3. *libertorum primi et medicorum intimi*] Ernestius epithetorum permutationem factam esse putavit. sane saepius *liberti intimi, medici primi* dicuntur; sed fortasse *medicos intimos* non sine causa dixit. nam si princeps medico uti vult in re mala, ex numero intimorum vel secretiorum sit medicus oportet.

5. *momenta ipsa deficientis*] sic uterque codex; Puteolanus omisit pronomen *ipsa*, quod quum non sine vi additum sit iam alii receperunt.

5. *per dispositos cursores*] apparet Domitianum non fuisse tum Romae, sed in villa Albana aut alibi. RHEN.

6. *constabat*] sic A, quod in prima editione reticui, et Rhenanus in castigationibus, unde postea edebatur. B, Puteolanus et Alciatus *constabant*, primum a me revocatum, tum ab aliis receptum et defensum; v. Roth. pag. 132. sic in oratione quae vulgo fertur Ciceronis pro domo sua 54, 139 *quae si omnia ex Coruncanii scientia, qui peritissimus pontifex fuisse dicitur, acta esse constarent.* et eodem modo construitur verbum neutrum *apparere* a Cicerone de fin. 3, 7, 23 *atque ut membra nobis ita data sunt, ut ad quandam rationem vivendi data esse appareant.* sed nunc malui meliorem lectionem sequi.

speciem tamen doloris animo vultuque prae se tulit, securus iam odii et qui facilius dissimularet gaudium quam metum. satis constabat lecto testamento Agricolae, quo coheredem optimae uxori et piissimae filiae Domitianum scripsit, laetatum eum velut honore iudicioque. tam caeca et corrupta mens assiduis adulationibus erat, ut nesciret a bono patre non scribi heredem nisi malum principem.

Natus erat Agricola Gaio Caesare tertium consule idi- 44
bus Iuniis; excessit sexto et quinquagesimo anno decimo

1. *speciem tamen*] ita in codicibus scriptum. Puteolanus edidit *tum* pro *tamen*, quod aut Rivius aut Rhenanus correxit.

1. *animo vultuque*] frustra sunt quae a viris doctis tentantur; Acidalius enim coniecit *omnino vultu*, Freinshemius *amictu vultuque*, Gronovius *mimo v.*, Ernestius *habitu v.*, Engelius *animo vultuve*, Peerlkamp *imitamento vultuque* (coll. Ann. 3, 5 *doloris imitamenta*. 13, 4 *tristitiae imitamentis)* vel *nomine vultuque* est ἓν διὰ δυοῖν; animo qui in vultu apparet interprete Handio in Tursell. 2, 477. vultum ita composuit quasi animo dolorem concepisset. sic Hist. 1, 85 *animum vultumque conversi*. Doederleinius optime vertit *Zeichen des Schmerzes jedoch gab er kund in Stimmung und Blick*.

1. *securus iam odii*] i. qui odium non curaret, facile iam deponeret ut in mortuum, ideoque et doloris affectum facile induit. Lips. Ann. 3, 28 *Augustus potentiae securus, quae triumviratu iusserat, abolevit*. genus structurae iam Rhenanus notavit in thesauro locutionum p. 2, 5, 9, 11 et aliis locis. adde Zumpt. gr. lat. § 437.

3. *testamento*] hoc in codicibus ni fallor legitur. Puteol. Alc. Francof. Colon. *testimonio*, et ita Rhenanus quoque, qui in castigationibus interpretatur: „intellige honorifica verba de Domitiano Caesare testamento inserta,“ de emendatione vero nihil dicit. Walchio teste iam Rivius correxit *testamento;* equidem in Lipsii editionibus primum repperi.

4. *piissimae*] vide de hoc verbo quod Antonius finxit Cicer. Philipp. 13, 19, 43. idem Cicero forsitan improbasset formam *strenuissimus* quam Tacitus solus admisit Hist. 4, 69.

5. *velut honore iudicioque*] i. iudicio honorifico. de iudiciis testamentorum et honore inde redundante nota res e Cicer. Phil. 2, 42 et Sueton. Aug. 101. Ern.

7. *a bono patre non scribi heredem* cet.] v. Gesnerum ad Plin. paneg. 43, 1.

8. *tertium consule*] editiones

calendas Septembris Collega Priscoque consulibus. quodsi habitum quoque eius posteri noscere velint, decentior quam sublimior fuit. nihil metus in vultu, gratia oris supererat. bonum virum facile crederes, magnum libenter. et ipse quidem, quamquam medio in spatio integrae aetatis ereptus, quantum ad gloriam, longissimum aevum peregit: quippe et vera bona, quae in virtutibus sita sunt, impleverat, et consulari ac triumphalibus ornamentis praedito quid aliud

veteres ante Ursinum et Lipsium habent *ter* quod fortasse ortum est ex compendiaria scribendi ratione. sed quum ratio annorum non conveniat, alii Buchnerum secuti scripserunt *primum consule* i. anno 790 u. c.; Broterius vero pro *LVI anno* scribendum esse coniecit *LIV anno* quae emendatio est facilior. in cod. A, fortasse etiam in B, numerale *sexto et quinquas* litteris exaratum est.

1. *Septembris*] ita A.

3. *nihil metus in vultu*] A in contextu *nihil impetus in vultu*, in margine „al. *metus*." B *nihil metus et impetus in vultu.* Puteolanus scripsit vulgatam, in cuius locum Bipontinus, Engel. Schlüter. dederunt *nihil ineptum in vultu* comparato Cicer. orat. 18. Seebod. *motus* fortasse operarum errore. Gronovius interpretatus est: nihil erat in vultu, quod metum incutere possit. hanc enim vim v. *metus* firmat Quintil. instit. orat. 6, 2, 21 *et metum tamen duplicem intelligi volo, quem patimur et quem facimus.* sed quominus vim activam admittamus, impedire videntur et voc. *decentior* et quae sequuntur *gratia oris supererat.* itaque Doederleinio assentimur qui in lat. synon. 4, 320 alteram significationem accipit. ceterum Virdungus suspicatur tacite Domitianum tangi, de quo Plinius paneg. 48, 4 refert: *ipse occursu quoque visuque terribilis; superbia in fronte, ira in oculis.*

3. *supererat*] Venet. *superat.* *superesse* significat *abunde suppetere* ut c. 45. Ann. 1, 67 *quod si fugerent, plures silvas, profundas magis paludes, saevitiam hostium superesse.* Rothius autem recte adnotavit in verbo esse vim quandam comparativam.

5. *medio in spatio integrae aetatis*] attamen sex et quinquaginta annos natus excessit. sed v. Dial. 17 *centum et viginti anni ab interitu Ciceronis in hunc diem colliguntur, unius hominis aetas.*

7. *sita sunt*] *sunt* omissum in B.

7. *impleverat*] i. plane assecutus erat, ut Oberlinus in indice interpretatur. cfr. Walch., qui comparavit Graecorum ἀναπλῆσαι (Hom. Odyss. 5, 207. Herod. 5, 4) et ἀναπληρῶσαι.

8. *consulari*] sic uterque codex; Puteolanus edidit *consularibus* quod vulgabatur donec Becke-

adstruere fortuna poterat? opibus nimiis non gaudebat; speciosae contigerant. filia atque uxore superstitibus potest videri etiam beatus, incolumi dignitate, florente fama, salvis affinitatibus et amicitiis, futura effugisse. nam sicuti durare in hac beatissimi saeculi luce ac principem Traia-

rus, Peerlkamp, alii ex cod. A illud receperunt, et recte; nam de consularibus ornamentis sive insignibus nusquam est sermo; consul fuerat ideoque consularis dicitur.

2. *adstruere*] Histor. 1, 78 *tanquam nobilitatem ac decus adstruerent.* sic primus Velleius 1, 17 *et ut Livium quoque priorum aetati adstruas.*

3. *speciosae contigerant*] uterque codex *speciosae non contigerant;* (in margine cod. A Maggiorani nihil legit;) Puteolanus, Beroaldus, Alciatus *speciose contigerat*, quod Rhenanus tacite emendavit. Rothius, quem Bachius sequitur, codicum lectionem recepit, quod in lectione vulgata verbo *gaudendi* significationem tributam esse putat, quam veteres ignorent, i. *sich erfreuen*, *besitzen.* et sane si quis ita interpretaretur, esset reprehendendus; sed neminem novimus. codicum vero lectioni, praeterquam quod nulla in ea oppositio est, obstant quae c. 6 de abundantia, c. 42 de salario non petito et c. 43 de testamento dicta sunt. itaque Rhenanum cum reliquis editoribus sequuti sumus. voc. *speciosus* Riglerus bene explicavit „*den äussern Anstand bewahrend.*“

5. *nam sicuti durare — ominabatur*] ita hunc locum varie multumque vexatum codices Vaticani et editiones ante Rhenanum exhibent. Ursinus e suo codice attulit *nam sicuti magnae cuiusdam felicitatis esse durare in hac b.* cet. Acidalius et Buchnerus approbante Broterio scripserunt *in hanc — lucem.* Ernestius non dubitavit, quin aut exciderit aliquid initio sententiae aut Tacitus scripserit *nam sicut beatissimum, durare in hanc saeculi lucem* cet. quod Engelio placuit. Rhenanus delevit *quod*, ut infinitivi *durare*, *videre* haberent verbum, a quo penderent, et ita Berneggerus, Walchius, Bekkerus, alii, qui illud verbum aut delent aut cancellis includunt. reliquorum correctiones praetereo. zeugma in his verbis est quod iam Pichena recte vidit et interpretatus est. ex multis exemplis quae nuper collecta et melius quam antea explicata sunt unum afferam nostro loco simillimum. Hist, 5, 22 *utque ad fallendum silentio, ita coepta caede, quo plus terroris adderent, cuncta clamoribus miscebant.*

num videre, quod augurio votisque apud nostras aures ominabatur, ita festinatae mortis grande solatium tulit, evasisse postremum illud tempus, quo Domitianus non iam per intervalla ac spiramenta temporum, sed continuo et velut uno
45 ictu rem publicam exhausit. non vidit Agricola obsessam
6 curiam et clausum armis senatum et eadem strage tot consularium caedes, tot nobilissimarum feminarum exsilia et

1. *augurio votisque*] Walchius ex Dione et Plinio demonstravit aliorum quoque ominibus Traianum futurum principem iam a. 844 significatum fuisse. Dio 67, 12 *Τραϊανῷ δὲ δὴ τῷ Οὐλπίῳ καὶ Ἀκιλίῳ Γλαβρίωνι ὑπατεύσασι τότε τὰ αὐτὰ σημεῖα λέγεται γενέσθαι, καὶ ἀπ' αὐτῶν τῷ μὲν Γλαβρίωνι ὄλεθρος, τῷ δὲ Τραϊάνῳ ἡ τῆς αὐτοκρατορίας ἀρχὴ προεῤῥέθη.* Plin. paneg. 5 *An fas erat nihil differre inter imperatorem, quem homines et quem dii fecissent? quorum quidem in te, Caesar Auguste, iudicium et favor tunc statim, quum ad exercitum proficiscereris, et quidem inusitato indicio enituit. nam ceteros principes aut largus cruor hostiarum aut sinister volatus avium consulentibus nuntiavit; tibi ascendenti de more capitolium quamquam non id agentium civium clamor ut iam principi occurrit. siquidem omnis turba, quae limen insederat, ad ingressum tuum foribus reclusis, illa quidem, ut tunc arbitrabatur, deum, ceterum ut docuit eventus, te consalutavit imperatorem. nec aliter a cunctis omen acceptum est.*

1. *apud nostras aures*] i. nobis ipsis audientibus. Hist. 1, 26 *quaedam apud Galbae aures praefectus Laco elusit.* v. Hand. Turs. 1, 408.

4. *velut uno ictu*] Oberlinus laudavit Senecam de ira 3, 19 ubi de Caligula haec. *homo — qui optabat, ut populus Romanus unam cervicem haberet, ut scelera sua in unum ictum et unum diem cogeret.*

5. *non vidit* cet.] locus huic simillimus est Ciceronis de orat. 3, 2, 8, ubi Cicero de Crassi morte loquitur. utrumque locum iam pridem comparavit Burmannus ad anthol. 2, 693.

6. *clausum*] A teste Broterio *clusum*; Maggiorani tacet. v. annot. nostram ad Dialog. 30, 5 et Bachium ad Hist. 1, 33. ceterum res aliunde non nota; etiam Nero fecerat; v. Ann. 16, 27.

6. *tot consularium — fugas*] v. Plin. epist. 3, 11. Sueton. Domit. 10. Dio. 67, 12. Burmannus loco supra laudato emendari vult *familiarum* pro *feminarum*; at Plinius nomina feminarum posteris servavit; fuerunt *Gratilla* Aruleni Rustici uxor, *Arria* Thraseae uxor, *Fannia* Thraseae filia Helvidio desponsata.

fugas. una adhuc victoria Carus Metius censebatur et intra Albanam arcem sententia Messalini strepebat et Massa

1. *una adhuc victoria*] i. quum Agricola moreretur. de historico tempore et de dictione *unum adhuc* v. Hand. Tursell. 1, 160. quae fuerit ista prima victoria non constat.

1. *Carus Metius*] A *Charus Mitius;* B *clarus mitius;* Puteol. 1 *Charus Nutius* errore facili quem Put. 2, Ven. Alc. auxerunt scribendo *charus nuntius.* verum nomen e Plinii epistolis Rhenanus restituit. fuit unus e nequissimis tum temporis delatoribus. v. Plin. 1, 5; 7, 19 et 27. Iuvenal. 1, 35. Martial. 12, 25, 5.

1. *censebatur*] i. Ernestio interprete Carus Metius una tantum victoria, uno tantum viro claro per accusationem everso inclaruerat inter accusatores. *censeri* est *aestimari* sive *existimationem consequi.* Dial. 39 *ut ipsi quoque qui egerunt non aliis magis orationibus censeantur.* ubi v. annot. n.

1. *intra Albanam arcem*] ita uterque codex; A in margine „*villam*,“ quod in editiones principes irrepsit servato tamen altero vocabulo; Puteolanus enim et qui eum sequuntur scripsit *Albanam arcem vilam.* inde Rhenanus fecit *Albanam villam;* Bipont. et Engel. *Albanam arcem solam;* Pichena maluit *intra Albanam arcem nulla sententia.* Domitianus villam Albanam (v. Plin. epist. 4, 11, 6) sive Albanum (Sueton. Domit. 4) ita adamabat ut eam quasi regiam et arcem haberet. Dio. 67, 1 τοῦτο τὸ χωρίον ὑπὸ τὸ ὄρος τὸ Ἀλβανὸν, ἀφ' οὗπερ οὕτως ὠνομάσθη, ὃν ὥςπερ τινὰ ἀκρόπολιν ἐξείλετο. eandem arcem vocat Iuvenal. 4, 145 *quos Albanam dux magnus in arcem traxerat attonitos.* sita erat ad radices montis Albani iuxta viam Appiam ad XVII miliarium.

2. *Messalini*] Put. 1 et 2 *Massalini.* fuit inter principes adulatores atque delatores, cuius de crudelitate v. Plin. epist. 4, 22, 5. Iuvenal. 4, 113 sqq.

2. *sententia — strepebat*] Tacitus innuit, dum adhuc viveret Agricola, nec permisisse Domitianum neque Messalinum ausum fuisse publice quemquam accusare, quod postea fecit, sed tum secretius, nempe in Albano secessu. Rhen.

3. *Massa Bebius*] homo perniciosissimus iamque regnante Vespasiano delationum studio deditus. Hist. 4, 50 *namque aderat — Bebius Massa e procuratoribus Africae, iam tunc optimo cuique exitiosus et in causas malorum, quae mox tulimus, saepius rediturus.* postea accusatus a provincia Baetica, cui senatus advocatos contra eum dederat Plinium et Senecionem, damnatus est. v. Plin. epist. 7, 33. 3, 4. 6, 29.

num videre, quod augurio votisque a
nabatur, ita festinatae mortis grand
postremum illud tempus, quo Dom
tervalla ac spiramenta temporum, s
ictu rem publicam exhausit. non
6 curiam et clausum armis senatum
sularium caedes, tot nobilissimar

1. *augurio votisque*] Walchius ex Dione et Plinio demonstravit aliorum quoque ominibus Traianum futurum principem iam a. 844 significatum fuisse. Dio 67, 12 Τραϊανῷ δὲ δὴ τῷ Οὐλπίῳ καὶ Ἀκιλίῳ Γλαβρίωνι ὑπατεύσασι τότε τὰ αὐτὰ σημεῖα λέγεται γενέσθαι, καὶ ἀπ' αὐτῶν τῷ μὲν Γλαβρίωνι ὄλεθρος, τῷ δὲ Τραϊάνῳ ἡ τῆς αὐτοκρατορίας ἀρχὴ προεῤῥέθη. Plin. paneg. 5 *An fas erat nihil differre inter imperatorem, quem homines et quem dii fecissent? quorum quidem in te, Caesar Auguste, iudicium et favor tunc statim, quum ad exercitum proficiscereris, et quidem inusitato indicio enituit. nam ceteros principes aut largus cruor hostiarum aut sinister volatus avium consulentibus nuntiavit; tibi ascendenti de more capitolium quamquam non id agentium civium clamor ut iam principi occurrit. siquidem omnis turba, quae limen insederat, ad ingressum tuum foribus reclusis, illa quidem, ut tunc arbitrabatur, deum, ceterum ut do-*
..it eventus, te consalutavit impe-
..m. nec aliter a cunctis omen
..n est.
..ud nostras aures] i. nobis

ipsis
dam
Lac
4.
laud
de C
bat,
vice
unu
5.
milli
2, 8,
quitu
dem
thol.
6.
clusu
not. n
chiun
aliun
cerat;
6.
Plin.
10. D
supra
liarum
nomin
vit; fu
stici u
Fannia
sponsa

Bebius iam tum reus erat. mox nostrae duxere Helvidium in carcerem manus; nos Maurici Rusticique visus, nos innocenti sanguine Senecio perfudit. Nero tamen subtraxit

1. *iam tum*] *iam* in B omissum. Gronovius mavult *etiam tum;* Niebuhrio quoque haec suspecta fuerunt. *iam tum* non significat *damals schon*, sed *eben damals*. ,,refertur *iam* ad tempus, et certum punctum temporis, in quo aliquid fit aut factum est, ita designat ex alius temporis ratione, ut dicatur *eo ipso tempore*, *suo tempore*." Hand. in Turs. 3, 113.

1. *mox nostrae — manus*] nam in senatu accusatus ibique manus ei iniectae sunt, maxime et primum a quodam Certo. Plinii epistola legatur 9, 13. haec autem referenda, ne quis erret, ad Helvidium filium, quem Domitianus occidit, quum patrem eius (v. ad c. 2) ipse Vespasianus. Lips. Sueton. Domit. 10 *occidit et Helvidium filium, quasi scenico exodio sub persona Paridis et Oenones divortium suum cum uxore taxasset.* Tacitus autem dixit nostras manus, quia inde ab anno 841 praetura functus senatui adscriptus erat, quamquam tum Roma abfuit.

2. *nos Maurici Rusticique visus*] ita codices et veteres editiones nisi quod Walchio teste editio Rivii *nostros* habet pro *nos*. in margine cod. A: ,,al. *nos Mauricium Rusticumque divisimus*" et ita Ursinus in suo codice legit quod placuit Broterio. Huetius supplevit nomen *visus miseratione*, *nos* cet. Acidalius *Rusticique vidimus casus.* Arzt. *nos in Mauricum Rusticumque saeviimus.* Bipont. et Engel. *Maurici Rusticique divisus* (i. e. distractio duorum fratrum optimorum), quo substantivo Livius 44, 30; 33, 46 et Gellius 20, 1 utuntur. sed nihil opus emendationibus; est zeugma. supplendum est *horrore perculit* sive *perfudit* (sic Cic. ad Attic. 8, 6 *dii immortales, qui me horror perfudit,*) vel quod Rothius p. 276 mavult *probro adfecit. visus* autem, quod vocabulum Broterio suspectum erat, est *adspectus, species;* v. Ruhnken. ad Vellei. 2, 94 et quos Waltherus laudavit Drakenb. ad Liv. 8, 9. Heindorf. ad Cicer. de nat. Deor. 1, 5, 12. simillimum syllepsis exemplum est Ann. 6, 24 *ut quemadmodum nurum filiumque fratris et nepotes domumque omnem caedibus complevisset.* — *Iunius Mauricus* ,,quo viro nihil firmius, nihil verius," ut ait Plinius epist. 4, 22, a Domitiano in exilium missus (Plin. epist. 3, 11) primis Nervae intemporibus rediit. v. Plin. epist. 1, 5. de *Rustico* et *Senecione* v. ad c. .2

3. *Senecio*] Put. 1 et 2 *Senetio.*

oculos suos iussitque scelera, non spectavit; praecipua sub Domitiano miseriarum pars erat videre et adspici, quum suspiria nostra subscriberentur, quum denotandis tot hominum palloribus sufficeret saevus ille vultus et rubor, quo se contra pudorem muniebat.

1. *oculos suos*] sic uterque codex; pronomen Puteolanus omisit, tum reliqui; ex cod. A Beckerus, Peerlkamp, Hertelius, alii restituerunt, quod Walchius latinum esse negavit. sed quare in his dictionibus pronomen addi non debeat, non intelligimus. sic Ann. 3, 53 *in hac relatione subtrahi oculos meos melius fuit.* Cic. p. Archia 10, 26 *ut etiam Cordubae natis poetis — aures suas dederet.* ad Attic. 1, 5, 4 *quum multos dies aures meas Acutilio dedissem.* hoc loco pronomen de industria appositum esse putamus propter verba quae sequuntur, *non spectavit.*

1. *non spectavit*] Doederlein. in transl. p. 63 corrigit *non spectari.* de dictione *iubere scelera* pro *imperare* v. Peerlkamp.

2. *videre et adspici*] idem Doederleinius p. 64 comprobat Coleri emendationem *videri.* male interpretatus est Bachius qui intellexit *reos;* immo obiectum quod vocatur est *eum*, i. Domitianum; *ihn zu sehen und von ihm beobachtet zu werden.*

2. *quum suspiria n. subscriberentur*] a speculantibus et delatoribus clam notabantur, qui lacrymis vel gemitu saevitiam principis incusarent. sic iam sub Tiberio saeviebatur. Ann. 6, 10 *ne feminae quidem exsortes periculi, quia occupandae rei publicae argui non poterant, ob lacrymas necabantur, necataque est anus Vitia Fufii Gemini mater, quod filii necem flevisset.* ibid. 19 *neque propinquis aut amicis adsistere, illacrimare, ne visere quidem diutius dabatur; sed circumiecti custodes et in maerorem cuiusque intenti corpora putrefacta adsectabantur.* — *subscribere* est clam scribere; v. interpr. ad Sueton. Octav. 27.

3. *denotandis tot hominum palloribus*] hoc sensu praegnanti dictum. denotare est designare oculis (Cic. Catil. 1, 1, 2) et ita quidem ut pallore impleatur qui adspicitur. de numero plurali *pallores* v. Rothium.

4. *et rubor*] Suetonius quoque Domit. 18 eum *vultu ruboris pleno* fuisse tradit. Plin. panegyr. 48 *femineus pallor in corpore, in ore impudentia multo rubore suffusa.*

4. *quo*] A et B, Puteolanus et reliqui usque ad Lipsium *a quo;* hic recte submovit praepositionem. Rhenanus in castigationibus (et in thesauro p. 57) usum praepositionis firmare conatus est exemplis Livii 32, 14 *ab satisfaciendi quoque cura* et 38, 52 *ab eadem superbia*, quae exempla parum idonea sunt. nuper etiam defenderunt

Tu vero felix, Agricola, non vitae tantum claritate sed etiam opportunitate mortis, ut perhibent qui interfuerunt novissimis sermonibus tuis, constans et libens fatum excepisti, tamquam pro virili portione innocentiam principi donares. sed mihi filiaeque eius praeter acerbitatem parentis erepti auget moestitiam, quod assidere valetudini, fovere deficientem, satiari vultu complexuque non contigit. exce-

Walchius, Waltherus et Bachius. sed frustra. praepositio *ab* continet quidem causae notionem, sed rubor non erat causa sed res ipsa qua Domitianus muniebatur. v. etiam Hand. Tursell. 1, 29 et 2, 116.

1. *non vitae t. clar.*] sic Cicero de Crasso l. s. l. *ego vero te, Crasse, cum vitae flore, tum mortis opportunitate divino consilio et ortum et exstinctum arbitror.*

2. *perhibent*] uterque codex *perhiberent.*

4. *pro virili portione*] B *portionem.* Histor. 3, 20 *ut pro virili portione armis ac manu victoriam iuverit.* idem fere est quod *pro virili parte*, de quo loquendi genere v. Ernest. clav. Cicer. s. v. *virilis.* notavit hanc dictionem Heinrichius ad Cicer. orat. partes ineditas (s. v. Cicero), quae a solo Tacito novatore sermonis invecta sit.

4. *innocentiam principi donares*] i. e. veluti hoc ageres, ut, quantum in te esset, innocentiam Domitiani ostenderes. nempe quum libenter mori se ostenderet, apparebat nullam ei vim adhibitam per venenum. Ern.

5. *filiaeque eius*] sic A; in B omissum esse videtur *eius*, nam Clemens nihil adnotavit. Puteol. 1, 2, Ven. Alc. *filioque eius;* Rhenanus hoc quidem bene emendavit in castigationibus (verba eius sunt: scripsimus *filiaeque eius.* nam Agricola filium pridem amiserat cet.), at in contextu operarum culpa pronomen *eius* excidit, a reliquis etiam editoribus omissum. Seebodius primus revocavit; tum alii. oratio aliquanto post ad Agricolam redit.

7. *complexuque*] ita uterque codex; Puteolanus copulam omisit eumque reliqui sequuti sunt. recentiorum plerique ex cod. A receperunt.

7. *contigit*] sic codices; Puteolani editiones *contingit*, quod Beroaldus correxit.

7. *excepissemus*] A et B, Puteolanus, reliquae editiones veteres habent *excepissem;* quod nunc scripsimus, est Pichenae emendatio, a Broterio, Ernestio, recentioribus fere omnibus admissa. ceterum Lipsius hoc plane Homericum esse sensit; ita enim Andromache lugens Hectorem Iliad. 24, 744 οὐδέ τί μοι εἶπες πυκινὸν ἔπος, οὗ τέ κεν

pissemus certe mandata vocesque, quas penitus animo figeremus. noster hic dolor, nostrum vulnus; nobis tam longae absentiae conditione ante quadriennium amissus est. omnia sine dubio, optime parentum, assidente amantissima uxore superfuere honori tuo; paucioribus tamen lacrimis compositus es et novissima in luce desideravere aliquid oculi tui. si quis piorum manibus locus; si, ut sapientibus pla- 46
cet, non cum corpore exstinguuntur magnae animae: placide quiescas nosque domum tuam ab infirmo desiderio et muliebribus lamentis ad contemplationem virtutum tuarum voces, quas neque lugeri neque plangi fas est; admiratione

αἰεὶ μεμνήμην νύκτας τε καὶ ἤματα δακρυχέουσα.

1. *figeremus*] in margine cod. A „al. *pingeremus.*“

2. *tam*] in margine eiusdem codicis „al. *tum.*“

2. *longae absentiae conditione*] B *nostrae absentiae conditionem.* ablativum *conditione* ita hoc loco positum esse Rothius animadvertit, ut praepositionis vicem fere praestet; *durch den besondern Umstand, vermöge.* praeterea Riglerus ex hac voce colligit Tacitum non voluntate, sed necessitate aliqua commotum urbe abfuisse.

3. *ante quadriennium*] Handius in Tursell. 1, 371 docet non esse *vor vier Jahren*, sed *vier Jahre zuvor*, et ambiguitatem removeri distinctione accentus, qui in adverbio acutus, in praepositione gravis sit.

3. *amissus est*] sic B; de Put. 1 nihil mihi constat; Put. 2 *ē*, quod alibi *est* significat, atque hoc habent Veneta, Beroaldus atque Alciatus; Rhenanus tacite scripsit *es*, quod in cod. A legitur. sed cum Walchio et Walthero reduximus alteram lectionem. nam haec verba non ad Agricolam dicta esse demonstrant quae sequuntur, ubi parentem iterum appellat.

4. *optime parentum*] sic codices et Puteolanus; in editionibus Beroaldi, Alciati, Rhenani aliisque intermediis *optima*, quem errorem Pichena correxit ex Veneta.

6. *compositus es*] uterque codex *comploratus es*, receptum a Beckero, Peerlkampio, Hertelio; neque ineptam esse glossam cum Walchio dixerim. est verbum Livianum, quod apud Tacitum hoc uno loco legitur. in margine cod. A *compositus* quod Puteolanus edidit et reliqui servant. Rhenanus in thes. locut. p. 52 laudavit Hist. 1, 47, ubi v. Ernest.

9. *nosque*] copula excidit in edit.

te potius, quam temporalibus laudibus et, si natura suppeditet, similitudine decoremus. is verus honos, ea coniunctissimi cuiusque pietas. id filiae quoque uxorique praeceperim, sic patris, sic mariti memoriam venerari, ut omnia facta dictaque eius secum revolvant formamque ac figu-

Rhen. sec. a. 1544; a Pichena restituta est.

1. *potius quam temporalibus laudibus — decoremus*] A et B, Puteolanus, Alciatus, Rhenanus *potius temporalibus l. et si n. s. militum* (B *multum*) *decoramus*. Ursinus in suo codice legit *admiratione potius quam aemulatione decoremus*, ex quo fecit *admiratione te potius quam aemulatione et si n. s. imitatione virtutum decoremus.* anonymus e cod. Mirand. legendum censet *ut admiratione — tumulum decoremus*. Lipsius coniecit *te immortalibus laudibus*, Acidalius *et immortalibus laudibus*. porro Heinsius in epistola ad Graevium emendavit *aemulatu decoremus;* Pichena *imitando colamus*; Grotius *similitudine decoremus*. alii alia tentant. equidem adhuc servandum esse iudicavi voc. *temporalibus* et cum Bipontino, Engelio, Oberlino *quam* inserui. haec enim verba puto opposita esse iis quae praecedunt, id quod v. *admiratio* quae opponitur *contemplationi* iam demonstrat. pro *militum* sive *multum* scripsi *similitudine*, quum hoc vocabulum propius ad codicum scripturam accedat quam alia verba quae proposita sunt. *similitudo* autem *alicuius* dicitur pro imitatione. Cic. Tusc. 1, 46, 110 *quorum* (sermo erat de Curio, Fabricio, Scipionibus cet.) *similitudinem aliquam qui arripuerit*. de orat. 2, 23, 98 *atque esse tamen multos videmus, qui neminem imitentur et suapte natura, quod velint, sine cuiusquam similitudine consequantur*. ceterum ut Rothius recte monuit, hoc verbum mitigatur iis quae interposita sunt *si natura suppeditet*. usum verbi *decorandi* Walchius illustravit his exemplis. Ennius (v. Cic. Tuscul. 1, 49, 117. de senect. 20, 73.) *nemo me lacrumis decoret nec funera fletu faxit.* Sall. Catil. 12 *illi delubra deorum pietate, domos suas gloria decorabant*. Virg. Aen. 11, 24 *ite, ait, egregias animas — decorate supremis muneribus*. sic Graeci *κοσμεῖν*. Plat. Menex. p. 248 C. *τὰ μὲν γὰρ ἡμέτερα τελευτὴν ἤδη ἕξει ἥπερ καλλίστη γίγνεται ἀνθρώποις, ὥστε πρέπει αὐτὰ μᾶλλον κοσμεῖν ἢ θρηνεῖν.*

3. *cuiusque*] Put. 1 *civisque.*

5. *facta dictaque*] solemni quadam formula coniunguntur; vide Boxhorn. Ern. Walther. ad Ann. 2, 53.

5. *formamque ac figuram*] ita ex Mureti atque Acidalii emendatione scripsimus, quam Ernestius approbavit et plerique recentiorum receperunt. nam mox sequitur *for-*

ram animi magis quam corporis complectantur; non quia intercedendum putem imaginibus, quae marmore aut aere finguntur; sed ut vultus hominum ita simulacra vultus imbecilla ac mortalia sunt; forma mentis aeterna, quam tenere et exprimere non per alienam materiam et artem sed tuis ipse moribus possis. quidquid ex Agricola amavimus, quidquid mirati sumus, manet mansurumque est in animis hominum, in aeternitate temporum, fama rerum. nam multos veterum velut inglorios et ignobiles oblivio obruet: Agricola posteritati narratus et traditus superstes erit.

ma mentis aeterna et ita Dial. 1 *dum formam sui quisque et animi et ingenii redderet.* aliis locis defendit etiam Doederlein. lat. synon. 3, 27. uterque codex, Puteolanus et reliqui legunt *famamque ac figuram*, quod Walchius per figuram ἓν διὰ δυοῖν explicat, *famam figurae animi.* sed de fama apud filiam et uxorem sermo esse non potest.

2. *intercedendum*] Acidalius coniecit *intercidendum*, Ursinus *interdicendum;* sed iam Rhenanus in thesauro p. 58 bene vidit hoc verbum proprie de tribunis usurpatum per metaphoram dici pro obstare sive prohibere. Plin. paneg. 25, 5 *intercedere casibus, occursare fortunae* cet. 84, 4 *intercedere iniquitatibus magistratuum infectumque reddere, quidquid fieri non oportuerit.*

7. *manet mansurumque*] solemnis formula; v. Ruhnken. ad Vellei. 2, 66, 5.

8. *nam multos* cet.] comparant Hor. carm. 4, 9, 25 *vixere fortes ante Agamemnona multi, sed omnes illacrimabiles urgentur ignotique longa nocte, carent quia vate sacro.*

INDEX.

CORRIGENDA.

p. 44, 3 leg. *paulatim.*

p. 46, 5 scrib. *abs - trahi.*

p. 62, 2 leg. *in bella.*

LIPSIAE
IMPRESSIT BERNH. TAUCHNITZ IUN.